



Specimen anatomico-medicum inaugurale de continuationibus membranarum

<https://hdl.handle.net/1874/210865>

SPECIMEN ANATOMICO-MEDICUM
INAUGURALE,

D E

CONTINUATIONIBUS
MEMBRANARUM.

5

SPECIMEN ANATOMICO-MEDICUM
INAUGURALE,
DE
CONTINUATIONIBUS
MEMBRANARUM,
QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Autoritate MAGNIFICI RECTORIS
D. DAVIDIS VAN ROYEN,
MEDICINÆ DOCTORIS, BOTANICES IN ACAD.
LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII.

N E C N O N
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis,
ritè ac legitimè consequendis,

Publicæ ac solemnî disquisitioni submittit

A N D R E A S B O N N,
AMSTELÆDAMO-BATAVUS.

Ad diem 14. Octobris MDCCCLXIII. H. L. Q. S.



LUGDUNI BATAVORUM,
GEORGIUM WISHOFF, }
Apud THEODORUM HAAK. }
ET 1763.

V I R I S

PRÆCLARÆ ERUDITIONIS FAMA;

MERITORUM, MUNERUM, ARTIS
PRAESTANTIA CELEBERRIMIS,

D. BERNARDO SIEGFRIED ALBINO,

MED. DOCT. MEDIC. ANATOM. ET CHIRURG. IN ACAD.
BATAVA, QUÆ LEIDÆ EST, PROFESSORI, COLLEGII
CHIRURGICI LEIDENSIS PRÆSIDI, ACADEMIÆ IM-
PERIALIS PETROPOLITANÆ, SOCIETATISQUE
SCIENTIARUM HOLLANDIÆ MEMBRO, PRO-
MOTORI EXOPTATISSIMO,

D. ADRIANO VAN ROYEN,

MED. DOCT. MEDICINÆ ET COLLEGII PRACTICO-MEDICI
PROFESSORI, COLLEGII PHARMACEUTICI EJUSDEM
URBIS PRÆSIDI, SOCIETATIS REGIÆ LON-
DINENSIS SOCIO,

D. HIERONYMO DAVIDI GAUBIO,

MED. DOCT. HUJUSQUE FACULTATIS ET CHEM. ET PRACT.
COLL. IBIDEM PROFESSORI, ACADEMIÆ IMPERIALIS
PETROPOLITANÆ, SOCIETATISQUE SCIENTIARUM
HOLLANDIÆ MEMBRO, SERENISSIMI PRINCIPIS
ARAUS. ET NASSAV. ARCHIATRO,

D. FRI.

D. FRIDERICO BERNARDO ALBINO,

A. L. M. PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI, ANATO-
MES ET CHIRURGIÆ IN EADEM INCLYTA UNI-

VERSITATE PROFESSORI,

D. PETRO GAMPER,

A. L. M. PHIL. ET MEDIC. DOCTORI, ANTEA MEDIC. ANA-
TOM. ET CHIRURG. PROFESSORI IN ILLUSTRI AMSTE-

LÆDAMENSI ATHENÆO, NUNC IN ACADEMIA GRO-

NINGANA MEDIC. ANAT. CHIRURG. ET BOTANI-
CES PROFESSORI DESIGNATO, REGIÆ SOCIE-

TATIS LONDINENSIS ET SOCIETATIS
HARLEMENSIS SOCIO,


IN MEDICIS ET ANATOMICIS

PRÆCEPTORIBUS AC FAUTORIBUS

HUMANISSIMIS,

PIA MENTE AD EXTREMUM VITÆ HALITUM USQUE
COLENDIS,

S A C R U M.



LECTURO AUCTOR.

uid *Juvenis*, quid *Medicus Tyro* ad scribendum valet? non multum certe, et si leges Academicæ postulant: cramber recoquere, ingratum, immo *Lectori* nauseosum; solidi aliquid ex praxi producere, inexperto difficile; nova proponere, arrogantium non nemo suspicabitur; attamen eligenda est materies pro *Specimine Inaugurali*.

Mireris, *L. B.* me, perpensis bisce, thema de **CONTINUATIONIBUS MEMBRANARUM**, novitatis (ut nonnullis forte videbitur) plenum, elegisse: elegi tamen, quia inter alia maxime mihi arridebat, & cuius apparatus, repetitis pro exercitio cadaverum dissectionibus, collegeram; campum quidem nimis amplum juveni exarandum, sed in quo sic processi: vestigia Ill. Praeceptorum aliorumque Anatomicorum, notaveram, illa secutus, felici tramite perrexi; ubi


L E C T U R O A U C T O R.

bærebam, quæsivi, illam, quæ tunc verâ mihi videbatur, viam secutus.

Talia sunt, quæ Tibi offero, L. B.: si ex voto placuerint, mibi gratulabor; sin minus, indulgeas quæso conatibus Juvenis, qui ingenii sui paupertatem, judicii immaturitatem lubens agnoscit. Totum interim humanum corpus, non mente solum, verum & oculis perambulasse, pro memoria saltem non pœnitebit. Vale!



S. P. E.



SPECIMEN ANATOMICO-MEDICUM
INAUGURALE,

D E

CONTINUATIONIBUS
MEMBRANARUM.

DE MEMBRANIS IN GENERE.

§. I.

In ter illas, quæ *corpus humanum* constituunt, partes, recentur **MEMBRANÆ**, quarum integrum tradere historiam nec Dissertationis scopus, nec vires permittunt, hinc illa tantummodo attingam, quæ ad continuationes probandas concurrunt. Quædam tamen in genere præmittamus.

§. II. Merito Expansiones vocantur (*a*): sic enim ab aliis partibus distinguntur, v. g. ab ossibus, quæ durissima, figuram vario modo circumscriptam habent; a visceribus, quæ mole sua manifesta, figuram a cavo complectente, & ad vicinas partes optime accommodatam assumunt; a musculis, qui prioribus illis affixi, ortu & insertione se distingunt; a vasis & nervis, quæ omnium substantiam perreptant.

La-

(*a*) Heisterus Comp. Anat. §. 26.

A

SPECIMEN ANATOMICO-MEDICUM

Latitudine sua differunt a ligamentis & tendinibus, quæ sæpe in aponeuroses, membranarum specie abeunt.

Magis distinctæ sunt suis continuationibus: quantum enim ex optimorum Anatomicorum recentiorum scriptis fidelibusque observationibus, & ex proprio ipsarum partium scrutinio (si quid pro juvenili valeat), comparando cum illis, colligere potui, plerumque duæ, vel plures inter se continuantur membranæ, neque adeo distincte definitur locus, ubi una definat, altera incipiat, continua serie, & mutata sensim natura, quam neque in his saltum facere videmus. Nulla porro membrana revera perforata dici potest, quum vel in aliam abeat, vel ipsa cœco fine definat. Interna cordis membrana cum reliquis omnibus, extremorum vasculorum explicatione communicare videtur, quasi continuitatis circulo, cuius centrum in ipsa naturæ simplicitate positum sit. Non tamen ab una omnes oriuntur, nam in fœtu etiam parvulo jam congenitæ apparent.

§. III. Structura earum fibrosa mollis est respectu duri ossis, renitentis cartilaginis, & tenacis ligamenti, cui ultimo proxime accedit membrana, magis tamen obsequiosa. Fibra duplex statuitur, una simplex, minima, primaria, ex elementis conflata (*b*). Altera composita ex fibris minimis coadunatis, quæ iterum in fibram longitudinalem & laminam dividitur (*c*). Crassities membranarum revera tales compositas fibras ostendit, unde sæpe in plura strata divisibilis est, crassiores ibi fibræ ipsæ vasa & nervos accipiunt. In superficie major simplicitas a solis fibris minimis pendere videtur.

Per hanc membranarum fibrosam substantiam inter cellulosa telæ fibras & laminas, Vasa & Nervi decurrent. Glandulæ ibidem situm habent.

Vasa arborum ad instar ramifications, & ibi sensim ramosiores decurrent, donec terminantur triplici modo, vel enim intra & in ipsam membranarum substantiam evanescunt pro nutritione; vel ad superficiem patulis extremis desinunt pro inhalatione & exhalatione; vel extremis suis per anastomosin inter se junguntur & inosculantur pro vitali circulo:

(*b*) Cl. Boerhavii aphorism. 21. & Com-

ment. Cl. v. Swieten.

(*c*) Cl. Haller. prim. lin. §. 7. physiol.

tom. I. p. 7.

non solum arteriæ arteriis (*d*), venæ venis junguntur, sed etiam arteriæ & venæ inter se, quæ semper comites decurrere solent (*e*).

Nervi in suo decursu per membranas non ita ad similitudinem vasorum ramificantur, plures autem fibrillæ uno fasciculo antea collectæ, a se invicem secedunt & vagantur. Solidis ita fibris sensum, muscularibus motus facultatem communicant & imprimunt; vel in papillas dictas membranarum prominentias, ad superficiem desinentes, ibi exquisitissimi sensus sedem figunt.

Glandulæ, quæ omnes sedem intra cellulosa telam habent, non in omni membrana inveniuntur, non in omni eadem, sed variis in locis, ubi varius usus postulat. Conglobatae vasis plerumque adjacent, & cum illis ope lymphaticorum ductuum communicant lympham pro diluendo chylo & sanguine secernunt. Conglomeratarum, qua humores inquilinos nutritios primarum viarum separant, ductus excretorii ad superficies membranarum aperiuntur. Folliculi Sebacei glandulosi patulis ostiolis ibidem spissiorem mucum, ad defendendas partes, superficies & vias lubricandas emittunt.

§. IV. Tandem considerandæ veniunt superficies, quarum una lævis, altera cellulosa est: lævem illam (quæ semper libera invenitur, nisi concretio facta fuerit præternaturalis) constituit lamina tenuis, in plerisque a reliqua crassitie separabilis, per quam nulla vasa decurrere observamus, licet ultimi vasorum ramuli ad eam pertingant; altera superficies cellulosa est productio reliquæ crassitiei, semper reliquas partes respicit & contingit, confluens cum illa, quæ muscularum fasciculos colligit, vasa & nervos in substantiam viscerum concomitatur, vel & alias membranas a tergo obsidet. Hinc nulla datur in corpore humano membrana, quin extus plus minus in cellulosa vertatur, qua nexus partium absolvitur.

Hæc de membranis in genere sufficient; singulas nunc videamus.

(*d*) Vide elegantissimum hujus rei specimen in Cl. Albini anat. academ. 1. 2. tab. 6. (*e*) Eustachii tab. anat. 5-16. 24-27. item Albini dissert. de arter. & venis intestinor. f. I.

4 SPECIMEN ANATOMICO-MEDICUM

DE CUTE.

§. V. **C**utis recte ad membranas refertur, omnes enim illarum qualitates habet. Plerumque ab Anatomicis in quatuor partes dividitur, in cuticulam, reticulum, corpus cutis sive corium & cellulosam: hæc distincta sunt in cute, in continuatis vero ejus productionibus confluunt, unde natura membranarum mutatur.

Ubi integrum illud corporis tegmentum & tactus organum, cum reliquis membranis comparamus, convenientiam satis magnam inventimus, majorem adhuc, si cum fabrica vasorum conferatur; interna enim horum tunica lœvi epidermidi respondet, muscularis fibroso corio, nervea laxæ cellulosæ. Simili fere modo ac tunicæ ventriculi, intestinalorum & vesicæ, parietes cavi abdominis externas, inversæ serie repræsentant & referunt; interna nempe tunica externam cutem, muscularis media musculos; continuato peritonæo in externalm tunicam tubi intestinalis communem, eleganti Naturæ simplicitate ubi illam magis compositam crederemus.

Quænam ex tali contemplatione eruere per observata liceat, mox tentabimus.

§. VI. *Epidermis.* In tota cutis externa superficie, similiter ac in reliquis omnibus membranis ostiola inveniuntur, quæ sunt patula vasorum extrema, Pori vocantur. Vasa hæc esse arteriosa & venosa, exhalationes & efficacia mercurialium & purgantium remediorum extus corpori applicatorum satis evincunt. (f)

Vasicula illæ, ubi ad superficiem corii cutis pervenerunt, non perforant epidermidem, non ultra ejus superficiem eminent. Epidermis extus æquabilis manet, & nil nisi ostiola parva exhibet, quasi ibi foraminulis esset pertusa. „Canales fere inperceptibles, pororum cutaneorum illa (epidermide) intus obductæ sunt” (g); folliculi glandulosi

(f) Ruysch. dec. 3. p. 15. thes. anat. I. (g) Winslow traité des tegum. §. 43. aff. 2. N°. 6. n. 3.

dulosi cutanei, qui majores cutis poros efficiunt, etiam producione epidermidis intus vestiuntur, ibique,, fistulis humorem pinguem ad-,, ferentibus pertundi," dicitur (b). a parte posteriore, qua cuticula corium spectat, præter radices pilorum, qui ex mediis semper folliculi exsurgunt, innumeræ eminentiolæ inveniuntur, quas,, theculas,, inversas papillarum cutanearum" vocavit Ruyschius. (i) Microscopium vero ibi præter foveolas pro papillis, teneriora fila detegit, quæ potius abrupta vascula esse videntur.

Natura cuticulæ homogenea est, sine vasis, licet etiam eosque urgeatur impletio, ut adhærentes illi particulæ rubræ vasa æmulentur, tali in casu materiem rubram in extremis exhalantibus arteriis hærente non incredibile est. Similis est natura tunicæ internæ vasorum, in qua vasa nulla hucusque detecta neque descripta invenio: duo Celeberrimi in arte Viri hanc nobis describunt ut,, tenuem, densam (k),,, compactam, homogeneam (l), lævem, uniformem, teneram,, internæ cordis similem" (m).

Vesicatoria applicata cuti, vesiculam attollunt, & colligunt serum sub epidermidis imperviæ (n) bullas; tempore, quo hæc acre suo vasa cutanea irritant & humores illuc alliciunt, simul poros se constringere faciunt & claudi, unde tunc impedito exitu, canales excretorii ultimi a sero affluente distenduntur, teneræ internæ parietes rumpuntur, sicque serum inter cutem & epidermidem colligitur, neque per epidermidis ostiola excernitur, nam,, dum ita se demittit a cutis corpore, secum,, trahit portiunculas ipsorum canalium cutaneorum, qui, dum non,, inverti possunt a sero, complanantur, sicque claudunt poros epidermidis sublati" (o).

In variolis, cutis veris abscessulis, cuticula simili modo pure a cute separari videtur. In morbillis, errore loci obstructis exhalantium vasorum finibus negato humorum affluxu, arida facta desquamari. In scorbuto, acrimonia humorum blanda cohæsione soluta, in furfura abire.

Ubi ablata fuit epidermis, nova recrescit: ubi a leviori causa sublata, succrescit alia priori similis. Ubi vero simul affecta fuerit cutis ipsa,

&

(b) Ruysch. adv. anatom. dec. I. p. 11.

(m) Haller phys. t. I. p. 65.

(i) Thes. anatoni. 8. N°. 97.

(n) Haller ibid. p. 106.

(k) Albin. ann. acad. I. 4. c. 8.

(o) Winsl. ibid. §. 46.

(l) Idem in coll. physiol.

SPECIMEN ANATOMICO-MEDICUM

& vascula destructa, non regeneratur cuticula, verum cicatrix oritur: callosa fit compressione.

§. VII. An ex hisce præmissis concludendum, Epidermidem esse continuationem tunicæ internæ ultimorum vasorum cutaneorum? &, an credibile, (ne temere hic de naturali origine aliquid determinem) regenerari, ubi priori lamina a radiculis suis sublata vel ablata, extrema vascula abrupta iterum elongata pro crescere, eorumque parietes, ab affluente continuo & cutem alluente humore ad superficiem ipsius corii reclinantur; & ope crassioris illius humoris partis, conglutinatæ, novam cuticulam constituant? incrassari & callosa fieri, dum continua pressione, impedita debita excretione, compressa vascula cum ipsa stagnante materie perspirabili, vacuis compressis simul venulis coalescant? Conjecturæ hæc sunt, an veræ? erudita Lectorum suffragia probent. Liceat hic proposuisse:

Saltem Cuticulam „esse expansionem extremitatum papillarum cutanearum” (p), repugnat insensilitas, sentire enim deberet, si nudi ibi forent nervi. Si esset propago utriusque meningis, quæ vaginas nervis largiuntur, vel ipsius corii productæ, vasa quoque haberet, & nulla tamen vasa cutis cum epidermide communicant, licet illæ papillæ, impletione cutis penitissime rubeant, & vasa conspicua per papillas nervias linguæ decurrant & incedant (q).

„Esse coagulationem transsudantis per papillas materiæ” (r) condensatam a frigore, opponitur quod fœtus in utero materno, loco calido, in liquore natans, epidermide jam sit munitus.

Ex squammulis constare, secundum Leeuwenhoekium aliosque, non firmiori talo nititur, nec nisi a morbosa sicca constitutione vel vitiosa deratione desumitur,

Neque est „ipsa cutis superficies compressione externa indurata” (s), nam licet crassissima fiet cuticula, cutis tamen nihil mutatur.

§. VIII. Epidermis porro cum nomine cutis desinit, sensim cum mutato corio confluit, & lævigate superficie continuatur in laminam superficialem

se-

(p) Ruysh. thes. anat. 2. aff. 4. N. 6.
thes. 3. n. 13.

(q) Albin. ann. acad. l. I. p. 60.

(r) Winfl. l. c. §. 35. Ill. Hallerus in nu-
per edito elem. physiol. tom. 5. p. 19. & 20.

(s) Morgagn. adv. anat. 2. p. 13.

sequentis membranæ: evidentissimum hoc apparet in fune umbilicali ad ultioris fœtus, ubi ad aliquam distantiam ab umbilico distincta adhuc separari potest epidermis, mox vero inde cum cutis abdominis producto corio confluit. Maximus ejus usus est foveolis suis papillas recipere, & tactum moderare.



§. IX. *Reticulum* est pars epidermidis, ejusdem naturæ, sed mollior & coloratior (*t*) nulla habet vasa (*u*). Usus idem, foveolis enim suis, quæ illis cuticulæ respondent, pupillas cutaneas recipit, & quasi superfusum cuti, foveolas a papillis impressas ostendit. Coloris cutis præcipua sedes est, in intervallis papillarum coloratior (*v*). An ejusdem quoque originis? Videtur hic iterum valere comparatio cuticulæ cum interna Vasorum tunica. Inter hanc enim & muscularém, cellulosa quædam intermedia a nonnullis statuitur. „ Incipiente putrefactione „ cellulosam materiam — connectentem, cerni. ” Monrois scripsit (*w*). ut „ brevissima, tenuis, absque adipe, & ægrius de monstra- „ bilis. ” ab Hallero definitur (*x*). Accuratissimus Albinus in illa interna tunica Vasorum, „ vix, nisi sparsim aliquid fibræ simile, & in „ ea quidem parte, quæ musculosæ adhæserat, separando relictum, ” invenit (*y*). Sufficit ibi aliquid laxioris telæ inveniri, licet nomine: cellulosæ non mereatur.

Reticulum definit, ubi papillæ cutaneæ evanescunt. „ Suppuratione: „ vel alio modo destructum, non regeneratur, cicatrices idecirco in „ æthiopibus albæ manent” (*z*).



§. X. *Corium* cutis proprie corpus constituit „ ex rete tendinosarum „ partium constare videtur. — glandulæ sebaceæ, exhalantia & re- „ sorbita, &c. —

(*t*) Albin. ann. acad. I. r. c. 2.

(*w*) Medical Essays of Edinb. vol. 22.

(*u*) Ruysch. thes. anat. 10. N. 2. A.

art. 16.

(*v*) Confer hic elegantissima dissertat.

(*y*) Hall. physiol. tom. 1. p. 65.

III. Albini de sede & causa coloris æthiop. &c.

(*y*) Ann. acad. I. 4. p. 33.

(*z*) Cl. Camper demonstr. pathol. §§ 12.

8 SPECIMEN ANATOMICO-MEDICUM

„ sorbentia vasa, nerveæ papillæ, pilorum organa, & reliqua, quæ ad „ cutem formandam confluunt, in tendinearum fibrarum intersticiis, „ sita sunt.” ut verbis utar Nobilissimi Viri P. Camper, (a) quem primum in Anatomicis Præceptorem & Fautorem habuisse læte gratae recordor.

Aliqua contractilitate gaudet, quam ostendit, ubi tempore hyemali frigore corrugatur, magis ubi vulnerata in robustis labia retrahuntur & difficilius confolidantur. Hac contractilitate ad musculares fibras accedit, & in hocce sensu quodammodo cum tunica musculari vasorum potest comparari. Subtilis cellulosa, quæ vasa & nervos ubique comitatur, reliqua connectit.

Vasa & nervos certissime accipit, impletione tota rubet, sensu gaudet exquisitissimo. Papillarum fabricam ex nervulis, vasis, & cutis continuatione, in lingua perscrutatus idem Cl. Albinus in annot. academicis exposuit (b).

Folliculi glandulosi intra ipsum corium delitescunt, orificia ipsius corii fibris coërcentur, quod in tumoribus ampullosis horum folliculorum, praxis satis ostendit.

Ultima vascula ad cutem desinire patula, ab omnibus receptum est, ductus excretorios expandi in epidermidem juxta Leeuwenhoekium posuit Heisterus (c): quando vero cum hisce comparantur verba Winsloii „ poros cutaneos illa (epidermide) intus obduci” (d), simulque natura cuticulæ homogenea internæ tunicæ vasorum similis, non sine aliqua probabilitate concludi credo, tunicam nerveam & musculariem quibus sine dubio etiam minima vascula constant, ad ipsum corium cutis desinere, solam internam produci & in epidermidem explicari.



§. XI. *Cellulosa* pars corii vocari potest, quia a laxata hujus tela oritur, ex subtili enim lanuginoso contextu sensim integra lamellarum strata formantur, quæ cellulas intercipiunt, unde membrana cellulosa dicitur, vel a materie contenta adiposa.

Vasa

(a) Demonstr. patholog. §. 2.
(b) lib. I. c. 15. lib. 2. c. 14,

(c) Comp. anat. §. 196.
(d) Vide supra.

Vasa accipit innumera, quæ vel in corium penetrant, vel per laminas, parietes cellularum constituentes, dispersa, patulis ibi extremis, pingue illud oleosum intra cellulas effundunt. „ Vasa per tunicam „ cellulosam gaudere reptatu ramorum arborum, cum cutis obtineat „ vasa reticulatim disposita. ” Ruyschius notavit (*e*). Nervi per cellulosam ad corium decurrunt. Iterum hic quædam analogia cum Nervea Vasorum, quæ condensator musculari adhærens, extus in cellulosam laxatur (*f*).

Ubique sub cute sequitur; ubi hæc in aliam membranam continuatur, cellulosa extenuatur, mutatur, & cum ipso laxato cutis corio misceri videtur, pingue tunc non amplius continet. Plura de cute collegit Ill. Hallerus (*g*). Pergamus ad Continuationes.



§. XII. Cutis palpebrarum reliqua jam tenerior, reflexa continuatur in Membranam internam palpebrarum, inde in Conjunctivam oculi (*b*), quæ etiam adnata dicitur, quia oculo accrescit, *albuginea* ob colorem.

Epidermidem hic produci usque supra corneam pluribus observatis Cl. Zinn probavit (*i*), videtur autem hic evanescere, & in laminam superficialem abire. Corii fibræ tendineæ desinunt in subtiliorem contextum. Papillis non conspicuis, sensilitate tamen gaudet, quæ vix aliquid admittit. Glandulæ Meibomianæ naturæ sunt Sebaceorum (*k*). Vasis subtilissimis hic gaudet, quæ in adnata vix apparent, ubi vero palpebras investit, evidentiora.

Antequam interna palpebrarum fit adnata oculi, per totum ambitum oræ orbitæ ejus periosteo firmiter ope cellulosæ adhærescit, unde ab aliis Adnatam esse productionem periostei orbitæ vel pericranii, scriptum legimus (*l*). Resectis palpebris sic apparet. Ubi ad corneam scleroticae partem pervenit, eandem pellucidam naturam assumit, & in ejus laminam exteriorem continuatur.

Ad-

(*e*) Thes. maxim. N. 99.

dissert. de visu § 15.

(*f*) Albin. ann. acad. lib. 4. c. 8. p. 33.
ibid. tab. 5. f. 1.

(*i*) Ibid. p. 25, 26.

(*g*) In elem. physiol. t. 5. nuper edito.
(*b*) Zinn. de oculo p. 246. Moeringh.

(*k*) Morgagn. adv. anat. I. t. 4. f. 1.
Zinn. ibid. p. 251. & tab. 7. fig. 8.

(*l*) Ruysch. ep. 13. p. 10. Moeringh. l.c.

10 SPECIMEN ANATOMICO-MEDICUM

Adscendit super carunculam lachrymalem, pone illam duplicata pellicula producitur ante oculi globum, ubi membranulam nictitantem vocant, in animalibus frequens occurrit (*m*), rarius in homine tam insignis, insigniorem in junoire æthiope a Cl. Camper publice dissecto vidisse memini: oriri videtur a latitudine adnatæ in illo angulo interno, ut facilius cedat in abductione oculi.

Puncta lachrymalia intrat, horum saccum & duclum perficit, donec cum interna nasi membrana commisceatur.



§. XIII. Altera continuatio est, ubi cutis faciei, colli, cervicis & capitis superioris concurrit ad radicem auriculae, illam complectitur, adscendit supra conchæ dorsum, inflectitur ad concham intus vestiendam, porum acousticum intrat, & ad tympanum desinit.

Epidermidem hic productam cœco fine definere omnis hodie agnoscunt Anatomici. Membranam mucosam, quæ membranam tympani in junioribus integit (*n*), veram esse epidermidem contendunt (*o*), cutem ipsam productam ad medietatem meatus gracilescere in membranam tensam, eousque pilos inveniri, simulque membranam adiposam specie corporis reticularis glandulas continentem Valsalva descripsit (*p*). Glandulæ hæ cerumen secernunt. Alii dixerunt Epidermidem solam supra membranam tympani cœco fine procedere, cutem vero ibi esse perforatum canalem (*q*).

Inquirens in rem hæc inveni. Sumpsi os temporis infantis recens nati, resecta auricula, aliquamdiu immisi aquæ, dein cultello juxta annulum osseum resecui partem membranaceam, quæ ex adverso ipsius membranæ tympani, in hac ætate meatum auditorium perficit. Partem illam reclinavi, tuncque apparuit foramen tympani lamina crassa albida opaca ovalis fere figuræ tectum. In parte illius superiore erat rimula, & applicato tubulo, inflato aëre in folliculum expandebatur. Removi ex sua sede,

(*m*) Morgagni, adv. anat. 6. tab. 5, fig. 1. 2. (*p*) Ibid. §. 11, 12. confer Winsl. ibid.

(*n*) Valsalv. de aure hum. c. 1. §. 13. §. 380, 381. Duverney ad tab. 3. fig. 3. Winsl. tr. de la tête §. 394. (*q*) Abregé de medecine par M ***

(*o*) Ruysh. thes. anat. 3. n. 76. Case-Chirurg. à Paris 1739. tom. 2. p. 5. Bohm. de aure hum. §. 77.

fede, & aperui, tuncque manifeste veram epidermidem esse cognovi, intus furfuracea materie obsessa, qua ablata, pellucida evadebat cuticula. Squamulæ illæ furfuraceæ ejusdem erant naturæ. Remoto sic epidermidis folliculo pellucens tympani membrana erat.

In alio, auriculam relictam adnexam transverse dissecui ad principium meatus auditorii usque, partem inferiorem (simili modo anteriore parte membranacea juxta annulum resecta) reclinavi, sicque se se offerebat tota superficies illius canalis squamulis testa; separavi tunc epidermidem & a concha auriculæ & a foramine tympani, cutem auriculæ prosecutus vidi, naturam suam cum folliculis & pilis retinere usque ad marginem superiorem ipsius foraminis tympani, ibi autem mutari, extenuari supra tympani membranam subjacentem, a qua magnam satis partem separatam asservo; eandem mutationem naturæ ostendebat pars reclinata, quam ulteriore examine, præter hanc mutatam cutem, ex dupli periosteal lamina constare vidi, interna nempe & externa, inter quas ipse annulus osseus tempore in canalem excrescit.

Idem confirmatum vidi in adulto, ubi resecta etiam prius auricula, post lenem macerationem ex ipso osseo jam facto canali, productionem membranaceam protraxi, specie digitabuli. Crassior erat per ambitum, respondens figuræ ipsius canalis, tenuior multo, ubi spectabat tympanum, complanata simul ad figuram foraminis, in medio assurgebat eminentia respondens foveolæ in relicta lamina tympani, tensione mallei introrsum, productæ. Cuticulam hic etiam a cutis productione, quæ cum periosteo confluebat, distinguere potui. Vera cutis ad principium canalis ossei desinebat; sed mutata continuabatur.



§. XIV. Per nares propagines suas cutis quoque mittit, quæ per utriusque lateris nasi cava explicantur nomine *Membranae Schneiderianæ* ab authore, qui primus illatn descripsit (r), mucosæ vel pituitariæ propter usus, vel *viridis* ob colorem, quo in cadaveribus plerumque appetet.

Epidermidem cum pilis per nares produci, sola inspectio & maceratio ostendunt. Saltem aliquid cuticulæ simile, sed tenuissimum, respondens

Re-

(r) In libro de Catarrhis.

12 SPECIMEN ANATOMICO-MEDICUM

necessitati, uti Cl. Albinus in physiologicis meminit. Cutis ipsa etiam hic tenuior, laxior, glandulis innumeris gaudet, quæ pituitam excernunt. Vasa impletio eleganter ostendit (*s*). Nervi singulari sensitatem & olfactu satis manifesti, eminentias perexiguas papillis quodammodo similes microscopium ibi detegit. Satis ex hisce appetet cutis externæ productionem esse, neque derivandam esse a dura meninge (*t*), neque a nervis (*u*).

Ubi jam nares intus obduxit, secundum septum nasi medium adscendit expansa versus laminam cribrosam ossis Ethmoidis, ubi nervos olfactios intra suam crassitiem recipit & admittit; in latere exteriore os maxillare sequitur & obducit; ossa spongiosa investit, & anfractus illorum intrat; intrat quoque sinus, & illis similem membranam pituitam præbet. In junioribus infantibus, ubi nulli adhuc sinus conspicui, partem tamen illam ossis integit, & firmiter periosteum adhæret, unde tunc ætate marginibus ex crescentibus, cavo sinus formato, parietes illius vestit.

Communicat per canalem nasalem cum adnata oculi in quoque latere. Cum membrana palati oris per canales incisivos, qui tamen raro aperti inveniuntur, bis apud Cl. Camper in cadaveribus vidi, & nuper semel adhuc in capite, quod ad repetendas observationes adhibueram. Ambæ hæ cutis propagines per nares producuntur, setpo nasi a se invicem separatae retrorsum iterum in unum confluunt. A parte inferiore supra uvulam & musculos constrictores isthmi faucium descendens, ad hujus isthmi oram occurrit membranæ oris, ubi hæc palatum velat: a parte superiori per fauces expanditur.



§. XV. Idem fit per Os. Cutis labiorum supra musculum orbicularem oris introrsum flebitur. Vestit prolabia, fit interna labiorum, buccas vestit, fiunt gingivæ; supra alveolos dentium, quos adscendit, porrigitur, & velamentum præstat palato & fundo oris, linguam complebitur & involvit, sic per ambitum versus fauces procedit, a parte superiori ante

uvu-

(*s*) Ruysch. ep. probl. 8. t. 8. fig. 6.

(*t*) Riolan. antropogr. l. 4. cap. 6.

(*u*) Vesal. de C. H. fabr. t. I. p. 368.

uvulam descendens, continuationem Schneiderianæ Nasi offendit, cum qua jungitur.

Epidermidem hic separari & decedere sœpe videmus post nimis fervida assumpta, vel in illis, qui tenerioribus buccis fumum tabaci attrahunt. Cutis corium naturam suam hic in subtiliorem teneriorem commutat, unde folliculis cutaneis intra corium latentibus, hic loci substituuntur alia corpuscula glandulosa, globosa rotunda magis figura conspicua. Cellulosa etiam hic quædam subtilior. Papillæ nerveæ hic ubique inveniuntur creberrimæ, minimæ, nec nisi Epithelia prius ablata conspicuæ. Epithelia hic dicitur, quod cuticula in cute externa, similis est naturæ, papillas recipit & integrit, summos ablata causat dolores, abunde hæc ex thesauris anatomicis Ruyschianis probantur. Sic v. g. ablata epithelia, prolabia tota villosa apparent, quæ nil, nisi papillas nerveas (v), præter vasa ostendunt.

In buccis & gingivis eadem res (w), præter glandulas buccales, in quaque bucca ductus excretorius glandulæ parotidis aperitur, qui supra masteterem musc. descendens, buccinatorem ad dentem molarem tertium perforat.

Supra alveolos continuari, ibique tempore dentitionis infantum pertundi, experientia satis docet, tumore & insequente dolore: postea circa dentes concrescit, & illas firmat, nam in scorbuticis & salivantibus erosio & laxatis gingivis, dentes plerumque vacillant; in edentulis super alveolis iterum concrescit.

§. XVI. Nuperrime hic aliquid inveni, quod ulterius examen mereretur, tempus autem mihi deficit, hinc differre cogor, quid interim vidi, referam, quum nullibi etiam hujus mentionem factam audivi. Contemplando limbum, dentium alveolos integentem in utraque infantis recens nati maxilla, quæ jam per aliquot dies liquori spirituoso conditæ fuerant, limbum illum innumeris parvis foraminulis pertusum esse vidi, horum alia vix, alia facile pilum, vel tenuem setam admittebant, penetrabant hæc aliquousque, secando tamen non potui persequi, contractis jam spiritu partibus.

Toto

(v) Ruysch. thes. anat. 3. N. 23. n. 2. (w) Idem thes. anat. 10. N. 136. & tab. thes. anat. 7. tab. 2. fig. 5.

14 SPECIMEN ANATOMICO-MEDICUM

Toto Limbo dissecto, mox sub illo apparebant alveoli dentium. In quoque autem alveolo folliculus membranaceus, superius firmiter cum cute cohærens, intra alveolos laxius per vascula periosteis, ossi adhærebat, aperto folliculo intus erat dens futurus ex fundo prominens, reliqua interna folliculi superficie lævissima, ut vera membrana.

Exemi tale folliculum integrum ex suo alveolo, cum intus contento dente, qui nullo modo cum reliquo osse maxillæ communicabat; aperui & prudenter inversi, sicque plures. In iis, qui lentius erumpunt dentes, uti molares, testulæ molles erant, membranaceæ, continuatae cum reliqua interna superficie folliculi; in incisoribus & caninis testæ erant duriores, flexiles tamen instar unguium ejusdem infantis, similiter parte sua inferiore extenuata, quisque cum ipso folliculo continuabatur. Ubi talem testulam tenaculis præhendebam, soluta cohæsione radicis cum ipso folliculo, testulam protrahebam excavatam, sicque separabam a subiecta pulposa substantia, molli, habitu cutis fere subungue, quæ totam excavatam testam repleverat, transversim hac pulpa dissecta cutim satis æmulabatur.

An ergo membranula hæc folliculum constituens, cutis oris propago est, per foraminula Limbi produeta? an testula, quæ dein crusta vitrea vocatur, continuatio ejus epidermidis, & naturæ unguium quodammodo, sed magis induratæ? ulterius erit inquirendum, conferri interim hæc possunt cum pulcherrimis iconibus & addita descriptione incrementi dentium progressivi, a Celeberrimo Viro B. S. Albino editis (x).

In fundo oris ductus glandularum submaxillarium & sublingualium patent.

In palato idem continuatum involucrum, in quo vasa sanguinea (y), glandulæ (z) & nerveæ papillæ arena multis numeris minores (a); item „ rugæ, eminentiæ, tubercula, sinus, " notanda (b).

In lingua evidentior cum cute externa similitudo. Epidermis quæ reflexa intra os, nomen Epitheliæ acceperat, nunc Periglottis dicitur „ naturæ quæ cuticulæ: multo autem mollior, reticulo quodammodo „ simi-

(x) Annot. acad. I. 2. t. 1, 2.

(y) Ruysh. thes. 5. arc. 1. n. 1.

(z) Idem thes. 6. N. 3. n. 2.

(a) Idem thes. 2. aff. 4. N. 12.

(b) Albini ann. acad. lib. 3. tab. 3. fig. 1.

„ similis cui cuticula detracta ” (c), vaginulas longiores præbens papillis nerveis linguæ, unde superficies tota hirsuta. Cutis hic iterum parum crassior videtur.



§. XVII. Ex concursu harum membranarum (§. XIV. & XV.) ori-
tur *Membrana faucium*, quæ similis est naturæ, sensim vero iterum mu-
tatur.

Continuata Epithelia magis & magis, cum subiecta cutis continuatio-
ne confluit, prout papillæ disparent, quo iterum probari videtur, epider-
midem, pro papillis destinatam, solis his inservire; aliquid etiam hic
epidermidis simile adesse aphitæ probant. Ipsius cutis fibrofa substantia
hic magis degenerat in subtilem cellulosam laxiorem telam, quæ nervæ
vocatur. Glandulæ mucosæ hic innumeræ dantur. Papillæ sensim eva-
nescunt, unde nervi hic non adeo ad superficiem definere videntur,
saltem non ultra superficiem. In hac membrana notanda duo glandulosa
corpora, amygdalæ vel tonsillæ dictæ.

In faucibus præter communicationes cum ore & naso, tres patent viæ,
per quas membrana faucium continuatur, & quæ de mutata illius natu-
ra participant, tendunt hæ ad tympanum internum, ad pulmones, ad
ventriculum.



§. XVIII. Viam dari ex faucibus in tympanum, partem priorem auris
internæ, per canalem, tubam Eustachii dictam, nemini rei anatomicæ
gnaro ignotum erit; quotidie fere id egregio spectaculo confirmari vi-
demus in illis, qui ipsis insciis quasi solo naturæ instinctu omnes narra-
tiones ore aperto hauriri solent; tunc enim attracto spiritu, aër per hunc
canalem tympanum intrat, tendit illius membranam, qua subtilius undis
sonoris affecta, exactius audiunt. Initium illius tubæ papillæ ad instar
intra fauces eminet, intrat illam faucium membrana, applicat se undique
perichondrio & periosteо hujus canalis, donec ambæ extenuatæ intus
producantur. Membranæ Schneiderianæ similis describitur (d).

Ul-

(c) Albini ann. acad. l. I. p. 65.

(d) Winslow traité de la tête §. 391.

Ulterius producta tympanum intus vēstit, & cum producto periosteō unicam membranam constituere videtur; fenestram ibi rotundam di-ctam, obducta a parte tympani claudit; ubi vero fenestra ovalis, pergit versus basin stapedis, huic foramini insidentis, illamque mobilem in situ retinet; reflectitur circa illud ossiculum, ad incudem & malleum inde in membranam tympani iterum explicatur. Si interim vera, quæ subtiliora fieri mihi hic persuadebam, interna illa membrana ex fauci-bus producta, a subiecto periosteō se destinguit, ubi reflexa a fenestra ovali circa stapedem, hiatum inter ejus crura obtegit & claudit (*); periosteum crura involvit. Similiter, ubi nervulus ille chorda tympani dictus per medium tympani transit, interna illa cavi tympani me-mbrana, introrsum supra & circa nervum reflectitur, periosteum extus cum nervo producitur.

Cavitas processus mastoidei, iisdem continuationibus periostei & cutis obducitur, unde etiam membrana illa a Winsloō describitur, ut „membrana (quæ sit) pro parte continuatio periostei tympani, & pro parte ostendat structuram glandulosam, tamquam speciem membranæ pītuitariæ” (e).



§. XIX. Altera via ex faucibus per Laryngem ad Pulmones tendit, hanc constituunt Glottis, Trachea sive Aspera Arteria, Bronchiæ, & ipsi Pulmones (f).

Cutis linguæ, ad radicem ejus perveniens, adscendit epiglotidem, confluit cum reliqua faucium membrana, tegit glottidis caput, ostium & rimam ejus intrat, cartilagines glottidis intus obducit, continua-tur in Membranam internam Laryngis; tracheam vēstit, ramos ejus & ramifications, donec in vesiculos pulmonales coecis extremis desinat. Videlur, membranam hanc proprie constituerē canalem aeriferum, circumponi annulos cartilagineos, ut expansa retineatur, pro facilitiori aëris ingressu & egressu. An autem vesiculæ illæ ex sola hac interna membrana constent, non adeo liquet; hanc interim coecis ibi extre-mis desinere docet reditus aëris per eandem viam, qua intraverat.

Sen-

(*) Haller elem. physiol. tom. 5. pag. 213. (e) Winsl. traité de la tête §. 397. (f) Haller phys. com. 3. p. 148.

Sensilissima etiam hæc est membrana, unde tussis. Glandulæ muciparæ per totum tractum inveniuntur, quæ in superficie interna hiant (g). Vasa exhalantia & resorbentia. An vero per illa resorbentia vascula particulæ aëreæ in massam sanguineam deferuntur (h), quia possent per aperta venarum ostiola penetrare (i)? Sanguis, ex pulmonibus per venas ad cor rediens, floridior & dilutior appetet, quod non a sola compressione & refrigerio pendere videtur; hæc enim sanguinem potius densiorem & minus meabilem reddunt: subtilior aëris hic admixtio, intimior miscela circulationem non adeo turbabunt.



§. XX. Tandem fauces in Pharyngem desinunt: hic in Oesophagum, qui, ubi diaphragma perforavit, in Ventriculum explicatur: ab hoc interum coarctato Intestina. Per totum hunc tubi alimentaris tractum eadem fabrica, eadem fere natura invenitur. Constant enim ex tunicis, quæ plerumque quinque recensentur, interna, nervea, muscularis, cellulosa, externa communis (k), ad tria tamen referri posse credo, ad internam, muscularem & externam, saltem nerveam ad internam pertinere, quæ ambæ simul cutis mutatae continuationem ostendunt.

Lamina illa, quæ nomen *tunicæ internæ* retinuit, superficialis est, tenuissima, nulla vasa ostendens, nisi ramuli, qui in illam desinere videntur ex nervea prodeentes (l). Altera pars *tunica nervea* dicta, laxior, fibrosa, cellulosæ species est, a vera membrana cellulosa discrepans, quod nullam pinguedinem contineat, quæ non invenitur, nisi ubi laminæ integræ membranaceæ hanc telam constituunt. Per hanc nerveam vasa & nervi decurrent, glandulæ intra illam sitæ sunt, quæ in internæ superficiem aperiuntur.

Internam illam „tunicam villo-papillosam” vocavit Ruyschius, & ex comparatione cum cute prolaborum, &c. etiam hic species Epitheliæ inveniri tradit, quæ si post violentas alvi purgationes a papillis sub-

(g) Haller ibid. p. 149. §. 14. Morgagni. pag. 165. & seq.
adv. anat. I. p. 32. & tab. I. & 2. fig. I.

(k) C. B. Albinus de intestin. tenuibus.

(b) Ruysch epist. anat. 16. p. 4. & 8.

(l) Cl. B. S. Albin. annot. acad. I. 3. t. 2.

(i) Confer hic Cl. Haller physiol. tom. 3. fig. 2.

subjectis discesserit, summi cruciatus & dolores oriuntur (*m*). Sensim autem papillæ disparent, & earum loco oriuntur Villi dictæ eminentiæ, quæ superficiem intestinorum villosam, holoferico similem redundunt. Differunt inter se sequentibus: Papillæ in prolabiis, &c. non nisi epithelia prius ablata conspicuæ sunt (*); Villi ab interna dicta tunica & a nervea simul producuntur, & plura vasa (*n*), pauciores nervulos admittere videntur.

Notandæ porro ibidem veniunt Valvulæ dictæ pelliculæ, intra capacitatem intestinorum fluctuantes margine libera, quæ transitum alimentorum retardant, ut plenius emulgeantur: proprie rugæ sunt & plicæ majores vel minores, quæ a tunica dicta nervea, obducta interna, introrsum duplicata & producta, formantur (*o*), utriusque naturam retinent, villis pariter obsidentur.

§. XXI. Singula paucis percurramus. Oesophagus ad naturam faucium accedit. In ventriculo superficies jam magis villosa videtur: oscula glandularum humorem gastricum stillant. Ubi pylorus, intestina ventriculo inosculantur, principium illorum, Duodenum, aliquantum crassioris papillæ specie, intra finem ventriculi, volvuli ad instar, suscepit prominet. Intestinorum fabrica, ventriculo similis: glandulæ succum entericum secernunt; villi longiores, copiosissimi in duodeno, sensim copia imminuuntur; idem de valvulis; vasa exhalantia & reforbentia patula, si usquam, maximopere hic manifesta; arteriæ ex mesentericis, quæ canalem continuo rore hemectant; venarum duplex genus, lacteæ, quæ in ductum chyliferum colliguntur, reliquæ in venam portarum.

In duodeno, ubi materies chylosa alimentaris, saliva oris, oesophagi, & suco gastrico madida & emollita, novam miscelam admittit, ductus pancreaticus & biliaris aperiuntur; per hos ductus etiam interna tunica cum parca nervea continuantur, quo magis communicatio internæ vasorum cum aliis membranis probatur. Per porum biliarium producta, naturam suam magis ostendit, ubi enim pervenit intra vesicam fellis, internæ & nerveæ intestinorum satis respondet.

In

(*m*) Ruysch. adv. anat. dec. 2. §. 9.

(*) Ruysch. thes. anat. 7. N. 40. n. 3.

(*n*) Lieberkuhn. de villis intestinor.

(*o*) Albin. ann. acad. lib. 3. cap. 2. & 4.

In Jejuno & Ileo eadem natura. Ubi tenuia intestina in crassa definunt, valvula magna destinguuntur. Valvula hæc coli dicta ab utriusque intestini, ilei atque coli, duplicata tunica musculari continua, intra colon producta formatur; nervea & interna tunica illam sequuntur & obducunt, siveque etiam per crassa intestina propagantur (p).

In colo valvulae, non a sola nervea & interna tunica, sed a toto corrugato intestino oriuntur. Colon in Rectum definit; hic glandulæ copioiores vias lubricant effuso muco.

§. XXII. Interna sic oris membrana per intestina producta sensim iterum naturam cutis induit, ubi per anum exiens, undique reflexa in externam cutem continuatur. Sed, ne hic omittam commemorare casum, qui mihi nuper occurrit, & ad illustrandam membranæ continuationem in coecum extremum, etiam hic egregium nec inutile, rarissimum certe spectaculum offerebat. Data occasione abdomen puellæ recens natæ, aperui, viscera sana & debite locata inveni. Colon intestinum ex ileo dextro versus hepar, inde sub ventriculo sinistrorum rite decurrens, in sinistro latere descendebat versus oram pelvis, ubi in alijs flexuram sigmoideam confidere solet, antequam in rectum abeat. Sed quam mira degeneratio! flexura illa hic deficiebat, deficiebat totum rectum intestinum. Colon loco flexuræ consuetæ, hic rursus dextrorum flectebatur supra psoam musculum ejusdem lateris sinistri, supra vasa iliaca & ultima lumborum vertebrarum corpora, usque ad Psoam dextrum. Pelvum non intrabat, sed clauso extremitate ante hunc musculum desinebat. Peritonæum, a corporibus vertebrarum superiorum, & ex dextro latere extremitate illud adscendens, juxta os sacrum intra pelvum continuabatur, ad uterum rursus reflexum, unde extremitate illud intestinum, dictis partibus alligabatur: integrum separavi. Ano externo, (qui naturalis apparebat & specillum ad longitudinem lati fere digiti admittebat), dissecto, nihil esse præter cutis extenuatæ & in internam tunicam mutatæ productionem vidi.



§. XXIII. Ultima nunc cutis continuatio supereft, quæ fit per pudenda
in

(p) Vide Cl. Albini ann. acad. lib. 3. c. 2. tab. 5. fig. 1.

20. SPECIMEN ANATOMICO-MEDICUM

in utroque sexu. Hanc primo in viris, dein in sexu sequiori perquiramus.

In viris, cutis penis supra glandem producta, introrsum reflectitur, sicque duplicata praeputium format (*q*), intus ita retrocedens, usque ad glandis coronam, supra glandem continuatur, illamque totam investit, donec per ostium urethræ, in summo ejus apertum, continuatur in *Membranam internam urethræ & vesicæ*.

Natura cutis minus evidens in praeputio, magis in glande, cuticula, reticulum, cutem ipsam cum papillis, & cellulosam distinctam ostendit (*r*), & quodammodo cum cute interna oris & linguae comparari potest.

In urethra jam mutatio accedit; ibi copiosæ glandulæ (*s*), canaliculi & lacunæ (*t*), in interna membrana conspicuæ, quæ simul valde sensibilis est.

In ipsa vesica magna cum intestinis convenientia, ex totidem tunicis constat, „Nervea continua cuti, similis ut in ventriculo, & obscurior-villofa, a nervea difficilius separabilis, mucosissima, in varias rugas plicata, absque certo ordine” (*u*).

Uretheres a renibus ad vesicam delati, intra eam aperti hiant. Per hosce ductus similiter ac per porum biliarium ex duodeno, producta tunica interna cum subtili parte nerveæ in pelvem renis explicatur, receptaculum cum tubulis urinariis Bellinianis continuum.

Simili modo ex urethra per ostia emissariorum (*v*) ad vesiculos seminales & intra vasa deferentia propagatur.

§. XXIV. In sexu sequiori nullum quoque dubium est, quin cutis intravaginam continuetur; nam duplicata, labia constituit, Nymphas, Hy-men & Clitoridis praeputium. Per urethram, similiter ac in viris, intra vesicam continuatur: per vaginam in uterus.

In vagina cutis præsentiam declarant „papillæ per vaginæ rugas dif-
„seminatæ” (*w*). Glandulæ mucosæ hic copiosæ inveniuntur.

Ubi

(*q*) R. de Graaf opera. tab. 8. de viror. fig. 4. L'Admiral. I. c. organis. L'Admiral effigies penis humani.

(*u*) Haller. pr. lin. §. CCCLXII.

(*r*) Albin. ann. acad. l. 3. c. 9.

(*v*) Vide Albin. annot. acad. lib. 4. cap.

(*s*) Cowper de glandul. nuper detectis. Morgagni. adv. anat. 4. p. 26.

3. tab. 3. fig. 2, 3.

(*t*) Morgagni. adv. anat. I. p. 5. tab. 4.

(*w*) Ruytsch. thes. anat. 4. N. 9. n. 5.

Ubi per vaginam ad uterum pervenit, qui instar papillæ intra vaginam prominet, juxta cervicem ejus antrorum reflextur, & supra partem prominentem continuatur „ ex cuius superficie propullulant innun- „ meræ papillæ nervosæ, unde pars illa adeo sensilis ” (x). Uteri porro ostium intrat & intus producitur.

Ipsa in utero majorem mutationem subit, & natura cutis omnino evanescit. Superficiem ejus integrit membrana tenuissima, naturæ epitheliæ vel Epidermidis cutis externæ, cum qua continuata serie communicat. Reliqua uteri substantia ejusdem vel similis naturæ videtur ac corium cutis externæ, quod in illam hic consumitur: distendi se patitur graviditate, post partum se restituit. Substantia, fibrosa, porosa est, vasa plurima admittens.

§. XXV. Per tubas Falloppianas, quæ veræ corporis uteri productio-nes sunt, etiam continuatur, illasque intus, subtilis, rugosa (y) obducit; ubi vero patulæ hæ tubæ intra cavum abdominis hiant, interna illa membrana producta non definit, sed divisa in fimbrias, duplicata, in membranam externam tubæ continuatur, quæ geminata, ligamenta lata uteri dicta producit, & in ipsum peritonæum explicatur. Hæc li-cket forsan minus evidentiora videantur, subtili fimbriarum divisione & explicatione intra aquam, didici.

Absolutis jam cutis continuationibus ad alia transeamus.



D E I L L I S, Q U A E S U B C U T E.

§. XXVI. **S**ub Cute sequuntur Musculi, quorum membranæ, li-
cet cum reliquis non adeo comparandæ, ordine tamen hic sequuntur. Constant ex mera & vera cellulosa tela, quæ in in-numera strata divisibilis est. Strata hæc efficiunt fibræ & laminæ, quarum textura transparens, subtilissima, simplicissima, flexilis, obsequiosa. Inter hasce laminas vasa decurrunt & nervi, quæ inter fi-bras musculi se insinuant & ad illas pertingunt (z). Ex hisce lami-nis

(x) Ruyschius ibid. n. 4.

(y) R. de Graaf de organis virorum tab. 7.

(z) Vide Albin. hist. muscul. lib. i. c. x.

nis hinc inde coalitis & concretis, cellulæ & areolæ componuntur, in quibus pingue colligitur.

Ex tali nunc celluloſo membranacea tela oriuntur, quas vocant, MEMBRANÆ MUSCULORUM (*a*): haec vel singulas fibrillas & fibras complectuntur, & connectunt, vel in lacertos colligunt, unde integri musculi componuntur. Hi iterum singuli, singulari sua membrana cinguntur, tandem plures musculi unico involucro ex eadem tela continentur, quod *vagina* vocatur, & fibris tendineis pluribus intertextis constat. Vaginæ sic plerumque ab uno vel pluribus muscularum tendinibus, oriuntur, & sensim extenuatae iterum evanescunt.

Ubi musculi ossi, cartilagini, vel parti molliori inseruntur, membrana illa muscularum dicta, cum cellulosa reliqua periosteī, perichondrii vel alias membranæ confluit, similiter ac per reliquam superficiem, confervescentibus cellulosa laminis cum superinducta vel subjacta quacumque membrana.



§. XXVII. Pervenimus ad PERIOSTEUM. Membrana haec firma, robusta, plus minusve crassa, singula ossa complectitur, & ab uno osse ad alterum continuata, omnia sceleti ossa uno continuo involucro, continet & conjungit.

Constat ex fibris intime unitis specie compactioris cellulosæ, firmior tamen, validior, distractionem vix permittens. Vasa plura accipit, quæ per illam decurrunt, & in ipsa ossa penetrant: impletio haec eleganter demonstrat; pulchris iconibus exhibuerunt Ruyschius (*b*) & Albinus (*c*). Nervos accipit. Glandulæ hic non inveniuntur. A reliquis membranis differt, quod laevi illa superficie careat, in qua ultima vascula aperta explicari videntur, a parte exteriore cum cellulosa vicularum membranarum confluit, a parte ossis, superficie illius undique quasi accreta adhaeret, & vasa, quæ in ipsam ossium substantiam penetrant, comitatur & periosteum ita dictum internum producit, sive in cellulosam telam abit, quæ continet medullam.

Ossa

(*a*) Haller phys. tom. 1. p. 10. & 11.

(*b*) Epist. anat. 5. tab. 5. fig. 1, 2.

(*c*) Icones oss. factus tab. XVI. fig. CLXII.

Ossa integra obducit, exceptis locis articulorum, ubi carthilagine incrusteruntur. In veris articulis, ab ossibus, recedens, capsam articuli constituit. Articulos immobiles, obscuros, ligamenti specie, intrat, similiiter intrat suturas, sive singula ossa distinguit, & distincta necit; idem fit, ubi ossa per harmoniam conjunguntur; licet vero in junioribus ossa ex pluribus portionibus constare inveniantur, uno tamen periosteo vinciuntur continuato, distinctio ibi tantummodo fit carthilaginea relicta lamella; carthilagines ossium, quae non articulantur vel obscure, continuato quoque & producto ossium involucro investiuntur, vocatur tunc *Perichondrium*. Per omnia foramina & canales continuatur, parietes investiens, ora obducens.

§. XXVIII. Natura omnium ossium antea tota cartilaginea fuit: primo refert gelatum, dein pelluciditatem amittit & in carthilaginem concrescit; oriuntur puncta ossaea unum vel plura, quibus crescentibus & confluentibus, sensim carthilago consumitur; substituit se ejus loco os. In ossibus longioribus punctum osseum in medio nascitur, crescendo hoc insignem medium longitudinem occupat, relictis extremis adhuc cartilagineis: media illa pars corpus ossis, quodque additamentum extremum Epiphysis vocatur. Additamenta haec sensim ab ipso corpore osseo occupantur; vel in iis quoque singulis punctum osseum oritur, quo incremente, Epiphysis etiam ossa fit, undique cartilaginea tecta lamella, hac ergo epiphysis a corpore ossis adhuc distinguatur, consumitur vero tempore, tuncque & corpus ossis, & additamenta in unum os confluunt, relicta tantummodo cartilaginea lamella, quae superficiem apophysis integrat, ubi ossa per articulum committuntur; talis carthilago in omni mobili articulo, superficies ossium incrustat (*d*).

§. XXIX. Perosteum corpus ossis firmiter continet & involvit usque ad illum locum, ubi Epiphyses ab osse destinguuntur; ibi primo firmius adhaerere videtur, mox vero ab osse recedit & ad aliud os pergit, cuius iterum perosteum constituit. Sic in omni articulo. Sic in omni aetate,

(*d*) Hæc desumpta sunt ex III. Albini elegantissimo tractatu de ossibus fœtus hu-

mani p. 150, & seq.

24 SPECIMEN ANATOMICO-MEDICUM

te, etiam in tenella. Pulcherrimum nobis specimen subtilissimæ artis, dexterimus & incomparabilis Albinus, in collegio physiologico ostendit, sceleton nempe perfectum fœtus aliquot hebdomadum, suspensum intra liquorem, totam compagen ossium futurorum exhibens, rudimentis ossium subtilissima membrana per omnes articulos conjunctis.

Periosteum ergo non solum ossa vestit, verum etiam connectit, & firmat articulos; datur autem in quovis articulo præter illud periosteum alia membranacea expansio, quam vocant Capsam articuli, Ligamentum capsulare; dicitur oriri, ab uno osse „ ubi Epiphysis ipsi ossi apponitur “ & in altero osse „ inter epiphyseos & ossis agglutinationem inseri “, inter hæc duo „ articulum ambire “ (e) ita ut periosteum supra illud ligamentum continuetur, „ totam capsam ambiens “ & „ illi per cellulas, losam junctum “ (f). Pro parte sic inveni, accedere tamen aliquid præterea, non minus notabile, nimirum, Membranam illam (ut ita vocem) internam articuli, ibi non oriri neque definere, verum continuari in superficiem carthilagineæ Epiphysis in junioribus, in adultis in ipsam laminam carthilagineam, quæ ossa intra articulos obducit. Omnes articulos in fœtu recens nato & adultioribus infantibus cultro & serra per longitudinem dividi, a capite incipiendo. In omnibus idem inveni. Periosteum firmabat articulum; intus membrana lœvis, nitens (g), plus minusve lata, ratione mobilitatis articuli, continuabatur in carthilagineam ossis superficiem. Ubi separabam, licet non facile, satis subtilis erat; ubi ad epiphysin accedebat, naturam carthilaginis induebat, & magnam partem a reliqua carthilagine epiphysis separare potui, immo quod felicius successit in articulo coxae, ubi separata parte illius membranæ internæ articuli & laminæ carthilagineæ priori continuæ, etiam continuari vidi supra ligamentum teres, quod a Ruischio Nerveo-Carthilagineum dicitur (b); & profundius ex ipsa carthilagine emergit: dein iterum explicari intra acetabulum natura carthilaginea; subtilis membranacea, ubi glandula sita est, illam obducere. Non minus evidens erat in genu, maxime ubi patella, cuius dimidiam partem externam periosteum integebat, partem internam articuli membrana car-

thilæ-

(e) Kaau de perspiratione §. 855.

(b) Adv. anat. dec. 2. tab. 3. fig. 3. ex-

(f) Ibid. §. 856.

plicat.

(g) Ibid. §. 859.

thilaginea facta: duplicata introrsum, carthilagines semilunares prehendebat; circa ligamenta cruciata reflectebatur.

Quia nunc idem in omni vero articulo invenitur & naturam vere membranaceam ostendit, in qua vasa patula & ostiola glandularum, quæ synoviam (*i*), & rorem continuo fundunt ac resorbent (*k*), quibus laxatis hydrops, quibus obstructis & inflammatis dolorifici morbi oriuntur, non immerito potius ad membranas debere referri credo, quam ad ligamenta, quæ magis naturæ periosteī, fibrosa, tendinosa, per illud decurrunt; & prædicta sunt robore, huic teneriori membranæ non adeo adscribendo: hinc membranam articuli, non ligamentum articulare, dicendum esse, periosteum vero ossa vincire & colligere, in cuius continuatione sequentia sunt consideranda.

§. XXX. In superiore parte capitis, per totum cranium continuum, a fronte ad occiput & tempora extenditur. In fœtu, ubi ossa nondum conjuncta sunt, & caput nondum clausum dicitur, licet rudimenta cartilaginea ibi adsint, in intervallis illorum, cum interiore cranii periosteo, i. e. dura matre confluit, & firmiter cohæret: possunt tamen a se invicem divelli. Incrementibus ossibus & formatis suturis, illis interceptæ manent cohæsiones, & difficilius membranæ hæ a suturis separantur. Sæpius hoc experitur, ubi pro dissectione cerebri, cranium prius ferra divisum avellitur, cohæsio enim tunc non adeo a teneris vasculis, quæ ex meninge in os penetrant, neque a reliqua superficiali cohæsione, quæ ut veri periosteī, satis facile solvitur, pendere videtur. In suturarum locis aliquid ligamentosi subest. Extrorsum abit in laxiorem cellulosam, similem membranæ muscularum, quæ supra musculum temporale ad zygoma excurrit, & pro lamella altera periosteī habetur, quod tamen revera duplex non est, externa illa lamella vera est membrana cellulosa, quæ musculos integit.

In fronte excurrit ad orbitas, nasum internum, per totam maxillam superiorem, ad alveolos dentium, quos intrat, & ad palatum. Sub musculum temporale verum periosteum descendens ad basin cranii pergit, inde per tubam Eustachii ad tympanum internum investiendum:

a re-

(*i*) Vide Havers lib. de ossibus.

(*k*) Kaau de perspiratione hippocr.

a reliqua laterali capitis parte, ad radicem auriculae concurrens, cutim sequitur, & sub illam auris externae concham extus & intus vestit, meatum intrat, & etiam in laminam destinatam membranae tympani desinit. Patet inde, si bene examinetur, membranam tympani revera ex quinque laminis constare, nempe ex epidermide & cute externa, periosteo externo, periosteо interno tympani, & membrana ejus interna ex faucibus producta, immo si epithelium membranae faucium pro destinata numeramus, in sex divisibilem esse (*l*).

In articulo maxillae, ad sinus marginem ab osse temporis recedit, complectitur capitulum maxillae inferioris, supra quam continuatur; ipso in articulo laevis membrana, & mobilis cartilago lenticularis.

Ad anteriorem partem processus mammillaris, ubi processus stiloideus exsurgit, osseus in adultis, in junioribus cartilagineus, ad eundem processum continuatur, & ligamenti specie productum ad ossiculum graniforme ossis hyoidis, inter basin ejus & cornu in quoque latere procedit, cui inseri illud ligamentum dicitur, explicat autem se ibi in periosteum ipsius ossiculi & totius Hyoidis, quod in aliis infantibus ex unica cartilagine, in aliis ex distinctis partibus constare vidi, idem in adultis, ubi jam osseum factum erat: os ergo Hyoidis ita suspensum tenetur, & cum reliquo sceleto connectitur.

§. XXXI. Ab osse hyoide iterum instar ligamenti ad cartilagines glottidis pergit, fit eorum perichondrium. Similiter confluentibus, & recedentibus laminis, cartilagineos laryngis annulos continet, & intervalla replet, ubi fibris dictis mesochondriis firmatur, idem in intervallo posteriore ubi annuli deficiunt: an ita per bronchia productum ulterius etiam aliquid roboris addat vesiculis pulmonalibus, non definiam. In pulmone, „ anuli cartilaginei abeunt in fragmenta magis & magis difformia — majori portione membranae mixta, donec decrescente cartilagine, ultimi ramuli *bronchiorum* membranae fiant” (*m*). „ membrana extima unitur intimae, hinc duplex cuius, bet cellulæ pulmonalis lamina” (*n*),

§. XXXII.

(*l*) Confer Winslowum traité de la tête
§ 394.

(*m*) Haller prim. lineæ. §. 269.
(*n*) Idem in physiol. tom. 3. p. 1534.

§. XXXII. In reliqua parte basis capitis, per omnia foramina, cum dura matre illi occurrente, miscetur.

Per occiput deorsum versus foramen magnum excurrit, a cuius toto ambitu ad spinam continuatur: anterius ante corpora vertebrarum descendit; posterius supra processus & arcus, qui specudem formant. In lateribus supra ipsos articulos; in intervallis vertebrarum, cum periosteo interno a dura matre producto confluit. Ipsa corpora vertebrarum fibræ semicirculares ligamentosæ connectunt, in medio spatium relinquunt, in quo tamquam folliculo humor elasticus continetur, perperam autem hic veram carthilaginem intervertebralem statui, credo. Ubique in intervallis vertebrarum, inter corpora & processus ad- & descendentes, relinquuntur hiatus, seu foramina pro transitu nervorum: illis in locis, internum specudis perosteum cum externo confluit, & in unum continuatur, idem fit in foraminibus ossis sacri, nec non in processibus transversis vertebrarum colli, qui perforati sunt ad transmittenda vasa vertebralia ad Cerebrum: omnes vertebrarum articulos lœvis membrana intus obducit.

§. XXXIII. Eadem res in reliquis. Costæ cum vertebris articulantur, illas simul cum extremis carthilagineis obducit continuatum perosteum: ubi extrema costarum inseruntur sinibus sterni, ligamenti specie subintrat & firmat insertionem. Perosteum omnium costarum in sterno concurrit, illud cingit unicum, si ex unico osse vel carthilagine sternum constat, quale ex recens nato infante possideo, simile fere illi, cuius icon a Cl. Albino editum (o), puncta autem ossa jām majora. Si vero, ut saepius accidit, sternum ex tribus partibus constet, divisiones etiam ligamenti nomine intrat (p). Claviculæ cum sterno articulantur, & continuatum accipiunt perosteum, quod per ligamenta ad scapulam utramque pergit; a scapula ad humerum.

In humero notandus maxime sinus seu semicanalis, qui tendinem bicarpitis brachii continet. Ibi, si nihil extus vitiato, a parte articuli prudenter aperitur, pulcherrime membrana interna articuli integra, non ab illo tendine perforata, se manifestat, ex cavō articuli continua-

ta

(o) Icones ossium foetus tab. 9. fig. LXV. (p.) Ibid. fig. LXIV.

28 SPECIMEN ANATOMICO-MEDICUM

ta semicanalem intus obducit, tendinem sic liberum continet: ubi autem tendo incipit crassior fieri, & ex suo canali exit, membrana articuli introrsum supra tendinem reflectitur, cuius tunc fibras, arctius colligit: ubi cum tendine ad marginem superiorem cavitatis glenoidæ scapulae pervenit, iterum explicata membrana in se ipsam continuatur. Ab osse humeri ad radium & ulnam, qui uno articulo cum illo conjunguntur, licet varia mobilitate transeat, rotationem ibi capituli Radii, laxitas membranæ articuli permittit. Dein toto carpo obducitur periosteum, omnia ossicula colligit, quæ singula inter se articulantur, exteriore horum superficies periosteum integit, reliquas cartilago incrustat. Metacarpus cum carpo articulatur veris articulis, minus tamen manifestis. Phalanges digitorum cum metacarpo & inter se. Continuatum periosteum tandem ultimorum ossiculorum apices totos obducit.

§. XXXIV. In artibus inferioribus idem invenitur.

Os sacrum committitur cum ossibus coxarum, siveque constituit pelvem. Quodque os coxae in foetu ex una cartilagine constat (*q*); in adultiore ex tribus ossibus partibus, media cartilagine unitis; in adultis deleta & consumpta cartilagine, unicum os fit; unico ergo etiam integitur periosteum non distingueente, sed continuato. Commissura ossis coxae cum sacro, si prudenter solvitur in maturo foetu, juniore infante vel etiam in adulto, utrasque superficies laevi cartilagine teetas offert, unde hic species veri articuli adesse videtur: an haec forsan ratio, cur saepe ibi ankylosis invenitur? quale specimen possideo, ubi in dextro latere. In utroque latere concreta haec ossa vidi in collectione doctissimi & integrerrimi amici Abr. Ledebour Med. Doct. in hac urbe. In pube aliquid ligamentosi subintrare videbatur in foetu. Clarissimus vero & expertissimus vir F. B. Albinus in novo suo collegio obstetricio, verum in pube articulum nobis demonstravit, & quidem tale, ut in uno latere, superficies leviter concava erat, alteram convexam excipiens, priori respondentem.

Femur cum acetabulo coxae articulatur; huic insequitur genu articulus;

(*q*) Albin. icon. oss. foetus tab. 9. fig. LXIX.

Ius; crus cum tarso committitur, in hoc, ut & in metatarso & digitis perdis, eadem ratio ac in carpo &c.

DE MEMBRANIS INTERNIS CAVITATUM.

§. XXXV. **O**rdine nunc pervenimus ad Cavitates interiores majores corporis, quæ in tres dispescuntur, capitis nempe, thoracis, atque abdominis, quibus viscera continentur. In his etiam membranæ considerandæ veniunt, quæ parietes vestiunt, partes contentas obducunt. Membranæ ipsæ cavitates formare videntur, ossa & musculi circumponi pro tutela.

IN CAPITE.

§. XXXVI. **C**avum calvariæ, durum illud mollissimi cerebri receptaculum, totum intus vestitum membrana crassa, firma, robusta, ossibus undique adhærens, DURA MATER vocatur, destinationis causa a Pia Matre proximo cerebri involucro. Matres hæ vocabantur ab Arabibus, quia ab illis omnes reliquas originem ducere putabant; eadem sententia a recentioribus nonnullis iterum recepta, primum & optimum fundamentum credebatur pro systemate irritabilitatis (*r*); experimenta autem huic oppugnant (*s*), unde ab illa dura meninge, & irritabilitatem & omnium reliquarum originem pendere eandem fidem credo mereri.

Contextum validum fibrosum in adultioribus ostendit; fibras has musculares esse, integro tractatu ostendere conatus fuit Pacchionus (*t*). Vasa per exteriorem partem D. M. decurrunt, ubi veri periosteum natum ostendit, vascula ossa intrant, sicque simul adhæret illis. In superficie interiore lœvi, serici nitoris, vasa patula rorem exhalant. Nervos accipere non adeo certum est. Glandulæ a Pacchiono describuntur; vasa lymphatica.

(*r*) Lups dissert. de irritabil. pag. 21. & (*s*) Haller de irritabil. p. 24.
seq.

lymphatica alii hic negant, alii affirmant; de his consulendus Cl. Hallerus (*u*).

§. XXXVII. Unica, ut hæc apparet membrana in adultis, nomine Duræ Meningis insignita, revera tamen ex dupli membrana constat, quæ ope cellulosæ conjunguntur. Externa verum est periosteum internum calvariae, interna cavitatis cranii velamentum: externa ergo ad ossa pertinet, interna ad cavitatem, in junioribus magis quam in adultis distinctæ. In fœtu, sponte fere quo junior, media tela cellulosæ sensim increscit fibris crassioribus, unde minus facile in adultis divisibilis est. Ut autem probetur, duram illam membranam revera duplicem esse, attendendum maxime ad ejus expansionem, & productionem, ubi ad foramina cranii pervenit.

§. XXXVIII. Expansa per ambitum cavitatis, undique ossibus firmiter adhærescit, per fila quædam, vascula periostei, quæ ossa intrant. Externa lamina, veri periostei ad instar ossa semper sequitur, eorum eminentias ascendit, deflectitur ad loca depressiora, ossa non relinquit. Interna quidem lamina per ambitum quoque expansa, ope cellulosæ telæ priori connectitur, cujus nexus ratio esse videtur, ut expansa circa cerebrum foret, neque supra illud concideret; præterea autem etiam cerebrum a cerebello destinguit, utrumque in duas laterales partes dividit; fit hoc processibus, quos nomine Plicarum Winslous a productionibus externis distinxit.

Processus hi numero quatuor recensentur, unus longitudinalis falciformis, qui cerebrum in duo hemisphæria dividit; duo transversi seu laterales, qui in tentorium cerebelli confluunt, illudque a cerebro distinguunt, reliquo tantummodo hiatu ovali, pro transitu medullæ oblongatae cerebri; quartus occipitalis, cerebellum in duas laterales partes dividit; sunt nil nisi interna lamina D. M. introrsum duplicata, unde hanc etiam externa latiore esse discimus.

Ubi ab externa lamina recedit, latior, tamquam ex basi, ab utroque latere in angulum acutum descendit, oritur ergo canalis triangulis, cujus latera duo inferiora, propagines sunt laminæ internæ D. M.

su-

(*u*) In Physiologiæ tom. 4. pag. 99. & seq.

superius, continuatio laminæ ejus externæ, quæ non intraverat duplicaturam, integit & claudit. Canales hi intus tenui membrana singulari vestiuntur, quæ est productio ipsarum venarum ad cerebrum adscendentium, jugularium & vertebralium, hinc *sinus* vocantur receptacula sanguinis venosi, a cerebro per venulas redeuntis. Quot ergo dantur hic processus, totidem quoque veri sinus; plures quidem sinus usque ad 16. numerantur (v), hi autem prioribus quatuor inosculantur.

§.XXXIX. Magis se distinguunt duæ D. M. laminæ, ubi ad foramina cranii pervenerunt; foramina hæc in paria dividuntur, & vel nervos vel vas vel utraque simul transmittunt. Nervorum decem paria ex cerebro oriuntur, per foramina exeunt: medulla cerebri oblongata in imparem caudam per simile magnum foramen ossis occipitis exit; ex his reliqui omnes nervi oriuntur. Vasa, quæ cerebrum a corde accipit, quatuor sunt arteriæ, quatuor venæ; arteriæ, duæ carotides, duæ vertebrales, directe ad cerebrum tendunt; venæ, duæ jugulares, duæ vertebrales, in sinus (§. XXXVIII.) colliguntur, quibus venulæ cerebri inosculantur.

In omnibus illis foraminibus lamella exterior D. M. exit, & ad oram ejus reflexa, continuatur cum periosteо extero; alia ratio est de interna lamella. Ubi singulæ fibrillæ ex cerebro productæ, pia matre involutæ, & per arachnoideam dictam in fasciculos collectæ, per foramina cranii exeunt, vaginas accipiunt a dura meninge i. e. a lamina ejus interna, quæ cum nervis producitur, externa in periosteum reflexa. Quomodo autem, ubi vasa per foramina calvariam intrant? ab expertissimis authoribus nihil hic invenio notatum, nisi, quod vasa duram matrem perforent, piam meningem intrent, sicque ad cerebrum pergent. (w). Miratus saepe modum hujus egressus vasorum ex D. M. ingressum in P. M. nullibi descriptum inveniri; quum interim membranæ illæ, ibi loci, nec perforatæ, neque extus (uti cum nervis) productæ mihi apparebant, perquirendo veram ibi continuationem inveni,

quam

(v) Winfl. traité de la tête §. 29.

& p. 131. §. 14. de arteria vertebrali. idem

(w) Vide apud Authores, qui de cerebro Fasic. anat. 7. tab. 4. Vesal. de C. H. fabrica scriperunt; liceat hic pro omnibus, citasse lib. 7. p. 538. & 539. fig. 15. Ill. Hallerum elem. phys. tom. 4. p. 120. §. 7.

32 SPECIMEN ANATOMICO-MEDICUM

quam pro viribus describere & iconibus illustrare, dignum putavi. Partebit simul simplicem naturam, etiam hic in similibus per similia agere, & quod jam in articulis (§. XXIX. XXXIII.) notavimus, luculentius in cavitatibus internis majoribus patere, nempe, ubi hic aliquod viscus intra cavitatem continetur, membranam cavitatem investientem, circa vasa, quae ad ipsum viscum decurrent, reflecti, sicque supra viscum continuari in ejus externam membranam sive proprium involucrum.

Continuationes D. M. melius intelligentur, si per singula foramina persequamur.

§. XL. In genere, capacitas & fundus crani in duas cameras cerebri & cerebelli dividitur, distinctas per processus D. M. transversos (§. XXXVIII.). Camera cerebri in tres partes dividitur; anterior fit laminis orbitalibus ossis frontis & processibus tenuibus ossis multiformis, in hoc plano, foraminum par. I. & 2. Media pars ejusdem cameræ, depresso, fit processibus lateralibus ossis sphenoidis, ejus sella equina, ut & parte squamosa & petrosa anteriore ossis temporum, in hac parte foramina 3, 4, 5, 6. & 7. Posterior pars, supra tentorium cerebelli, lobos posteriores cerebri locat. Camera cerebelli, quæ sub dicto tentorio, in recente & in siccato esse ora describitur ab eminente intus margine ossis petrosi & asperis lineis transversis ossis occipitis, continet foraminum paria 8, 9, 10. & undecimum magnum, quod impar: disjecta membrana & diffractionis ossibus, sequentia occurunt, melius in infante conspicua.

In primo pari foraminum, ambæ laminae per eadem foraminula ossis cribrosum exeunt; externa in periosteum cavi nasi explicatur; interna cum ipsis nervulis olfactoriis, Schneiderianam (§. XI V.) ingreditur.

In secundo foramine, optico, externa in orbitæ periosteum continuatur; interna fit optici nervi vagina.

In tertio foramine, prærupto, alia res est, externa D. M. lamina cum periosteo externo miscetur; interna totum hiatum integit & claudit, ita ut in recens aperto cranio non compareat.

In quarto foramine, rotundo, idem. Idem in quinto.

In sexto idem: arteriæ enim carotidis externæ ramus ultimus, qui per hocce foramen penetrat, non ex dura meninge intus emergit, sed per illam

lam id est inter duas laminas, potius autem per exteriorem decurrens manet, siveque vasa & ossibus & ipsi internæ largitur; cum interna carotide non communicat, ramificationes suas ossi vertici imprimit.

§. XLI. Totam ita medium depresso rem cameræ cerebri partem continua integens interna D. M. lamina, similiter supra exteriorem laminam, ubi hæc canalem petrosum absolvit, (septimum par foraminum), adscendit versus processus clinoideos anteriores & posteriores; hinc latera Ephippii, non adeo exsecta apparent in recenti capite dissecto, quam in depurato osse, dura matre perdita. Per hunc canalem arteriosum carotis interna sive cerebralis decurrit, comitata exeunte nervo intercostali, emergit autem arteria hæc ex suo canali ad latus sellæ equinæ, inter processum clinoideum anteriores & nervum opticum ejusdem lateris, a parte ergo anteriore & lateral i glandulæ pituitariæ, quæ medium ephippium, terminatum processibus suis clinoideis & adscendente dura meninge, occupat. Hic jam nonnulli Auctores (x) dixerunt, externam laminam D. M. obducere basin ephippii, internam glandulam ipsam continere, vidi autem manifeste, tenuem internam laminam parca cellulosa comitatam, vaginalum specie, supra ipsas carotides & ductum glandulæ continuari & adscendere, donec in ita dictam Arachnoideam explicabatur. Plura de his postea dicemus.

§. XLII. Octavum par foraminum interna lamella æque ac externa intrat, & in illo, singulis nervulis septimi paris vaginalis præbet, cum quibus per subtilia foraminula in basi cochleæ, ad eandem pergit, ubi externa lamina periosteum scalarum & partem membranaceam constituere videtur laminæ spiralis, supra quam ultimi nervuli tenduntur. Idem in vestibulo.

Nonum par foraminum in duas partes dividitur: per anteriorem nervus octavi paris exit, vaginalam accipit ab interna lamina; pars posterior ampullosum extremum venæ jugularis, principium sinus admittit, hi autem inter duas laminas decurrunt, hinc non conspicuum intus foramen.

Per

(x) Vide apud Cl. Haller. elem. phys. tom. 4. pag. 59. §. 30.

Per decimum par noni paris nervus exit: interna lamella dat vaginalam, externa fit periosteum.

Per foramen magnum continuata Dura Meninge: externa lamina fit periosteum specudis vertebrarum, interna medullam spinalem complectitur, laxior hic est intermedia cellulosa.

Nervi, qui postea per foramina 3, 4, 5. paris exire debent, & non ad ipsa illa foramina ex cerebro oriuntur, verum magis posterius, mox se duræ matri immergunt, & accepta vagina ab interna lamina, inter hanc & externam antrorum ad ipsa foramina decurrent, donec exeant per tertium par foraminum 3, 4, 6. par Nervorum cum primo ramo quinti Paris; alter ramus 5. paris per quartum par foraminum exit; tertius ramus per quintum par. In hoc decursu lamina interna D. M. teguntur.



§. XLIII. *Pia Mater*, alterum & proximum cerebri involucrum, vera ejus membrana externa, primo pro simplici membrana habita, postea ab Anatomicis in duas partes divisa fuit, in externam, quam Arachnoideam vocaverunt ob teneritudinem, & internam, quæ nomen piæ meningis retinuit: pro unica tamen credo habenda est, cujus lamina superficialis est arachnoidea, subsequens P. M. non nisi ejus reliqua celulosa tela.

Distinguuntur a se invicem eo, quod dicta arachnoidea toti cerebro continua obducatur & anfractus cerebri colligat, pia mater omnes illos sulcos intret, & quasi tot septis dividat, quot superficies intestinalis refert (x). Per P. M. innumera vasa decurrent (y), quæ tandem substantiam corticalem cerebri intrant (z), ex hac in medullam (a): naturæ ergo est veræ cellulosæ. Arachnoidea vasis undique destituta est (b): hoc autem cum omnibus laminis membranarum superficialibus commune habet.

Distinctæ tamen vix apparent in parte superiore cerebri, nisi in locis

(x) Cl. Haller. phys. tom. 4. p. 16.

(z) Ibid. fig. 2. & 3.

(y) Albini ann. academic. lib. I. tab. 2.
fig. I.

(a) Ibid. fig. 4. & 5.

(b) Haller l. c.

cis sulcorum, ubi sola arachnoidea supra venas & arterias majores decurrit, saltem parciori ibi cellulosa tela, areolæ majores flatum admisit (c) videntur. In inferiore parte major distinctio, ubi concursus vasorum & circulus Willisii: item ubi nervi ex cerebro oriuntur; laxior enim ibi est arachnoidea, cellulosa jam fibrillas nerveas connectit, quas deinceps arachnoidea in fasciculos colligit & arte complectitur: maxime distincta est arachnoidea, circa medullam oblongatam, & spinalis in toto specude vertebrarum. Pia mater ubique cellulosam refert.

§. XLIV. Duas illas Meninges, Duram atque Piam inter se continuari diximus (§. XXXIX.), videamus quomodo. Arteriae quatuor ad cerebrum directe adscendunt, duas carotides, duas vertebrales.

Utraque arteria carotis interna juxta sellam equinam, a latere glandulae pituitariæ ex D. M. emergit (§. XLI.): ad ipsum ejus egressum ex canali petroso, quem exterior lamina D. M. pro periosteo intrat, a nonnullis „tunica adscititia“ arteriae vocata (d), interna tenuior lamina egredientem arteriam complectitur, & supra illam intus adscendentem continuatur, unde fit, quod eadem arteria, quæ in ipso canali cellulosam superficiem nerveæ tunice ostendebat, nunc laevi membra na obducta compareat, & hic revera tunicam adscititiam accipere dici posset, quæ tamen non diu permanet, mox enim in arachnoideam explicatur. Ubi sic aliquantum adscendit arteria cum continuata vaginula sua, arachnoidea a basi cerebri recedens libera, protracta, supra adscendentem arteriam descendere videtur, mox vero reflexa, cum vaginula illa arteriæ a D. M. producta in unum confluit & continuatur, unde intus susceptio quædam oritur, volvulo intestinalis similis, quæ primo aspectu ostendere videtur, arachnoideam ibi perforari ab arteriis, soluta autem intus susceptione, clare appetet, veram ibi dari continuationem leviter duplicatam (e).

Eadem res est, ubi arteriae vertebrales ex canalibus processuum transversorum vertebrarum colli prorumpunt, antequam per foramen magnum occipitis in cervicalem dictam arteriam confluunt (f). Patet ergo

(c) Ruysch. epist. probl. 9. tab. 10. thes. pag. 31. & 32.
7. tab. 2. fig. 2.

(d) Vieuss. neurographia. lib. 1. cap. 8. (e) Icon. 1.

(f) Icon. 2.

go concursus arteriarum carotidum & vertebralium, ubi circulum Wilifii constituunt, jam per piam Meningem, i. e. inter ejus duas distinetas laminas (si cui ita vocare placet), decurrere.

§. XLV. Nec minus evidens, ubi infundibulum; principium ejus ex cerebro productum, piam membranam & arachnoideam convestit, re — per piam & arachnoideam, & denique per duræ membranæ cerebri, interius glandulæ pituitariæ super extensæ, foramen, antrorum infundibulum descendere — exterius pia membrana vestitum". — „ piam membranam infundibuli se super pituitariam glandulam dispergere ". magnus Hallerus in Elementis Physiologicis docuit, & variis authoribus consentientibus probavit (g), itemque. „ In intervallo duarum laminarum duræ membranæ — glandulam hanc " (pituitariam) „ sedere " — „ eam, laminam duræ membranæ interiorem protegere, præter foramen, quod infundibulum admittit " (h). Vereor me hisce opponere, nec tamen evitare possum, si propriis oculis aliquid fidere licet. Nullum ibi inventio foramen in superficie: fibræ quædam circulares annulum quidem efficere videntur pro transitu extremi infundibuli, subtilissima vero integra simul & laevis D. M. superficialis lamina, similiter ac circa arterias, continuata supra glandulam, infundibulum intra vaginulam recipit, adscendit, & simili intro susceptione in Arachnoideam continuatur (i).

§. XLVI. Eadem continuatio locum habet circa venas, quæ ex cerebro reducem sanguinem in sinus effundunt.

In superiori parte encephali, ubi Venulæ ex sinu longitudinali ad superficiem cerebri pervenerunt, ante illorum immersionem in Piam membranam, parvas pelliculas inveni, valvulis vasorum quoad figuram non absimiles, quæ, ubi cerebrum integrum, reclinata dura meninge, liquori inmittitur (methodo, qua sola illas detexi), libere fluctuant, versus ipsum sinum supra venulas directæ (k).

Dissecta tali membranula, vidi esse arachnoideam, quæ primo duplicitata.

(g) Phisiol. 4. p. 57. & 58.

(h) Ibid. p. 59.

(i) Icon. 1.

(k) Icon. 3.

plicata in talem pelliculam valvulosam, postea ubi sinulo suo venam recipit, antequam hæc in ramos per P. M. dispergatur, supra truncum venosum continuatur versus duram meningem, tandemque in laminam ejus internam superficialem explicatur, ubi truncus venæ inter crassiores D. M. fibras ad sinus pergit (*l*).

In reliqua cerebri superficie, ubi vasa ex dura meninge ad piam, vel ex illa vice versa in duram migrant, semper continuata vaginula recipiuntur. Lævitas superficie hanc continuationem indicat. Intra species vertebrarum idem.

§. XLVII. Accedunt etiam alia ad hanc continuationem probandam, nempe *Ligamenta denticulata* dicta (*m*), quæ in toto specude vertebrarum in intervallis nervorum inveniuntur, & inserviunt ut ipsa P. M. & medulla spinalis in eodem situ retineantur. Est ipsa Arachnoidea, quæ totidem principiis ex D. M. oritur, & ex lævi illius superficie, specie filii crassioris protracti, sensim latescit, unde figura denticulata, donec explicata per ambitum, integrum medullæ involucrum constituat.

Simili modo in extrema cauda medullæ spinalis, ligamenti specie producta pia matre (*n*), Arachnoidea in superficiem duræ meningis internam continuatur. Sed de Continuationibus hic satis. Quomodo meninges desinant cum nervis productæ, multis verbis immorari, subtilitas vetat, extremi interim nervi involucra sua exuere non videntur (*o*). An ergo cœcis extremis desinere credibile? Opticum persequamur.



§. XLVIII. Nervum huncce vaginam accipere a Dura Meninge, (§. XL.) omnibus notum est. Vaginam hanc, ubi cum nervo ad globum oculi pervenit, in scleroticam ejus tunicam abire, alii; alii, ad illam desinere; vel supra eandem continuari, authores dixerunt: recentiorum industria & subtilitate tandem etiam divisa fuit in duas laminas, quarum externa circa scleroticam explicata expanditur, interna

(*l*) Icon. 4.

2. ee.

(*m*) Haller fasc. anat. 7. tab. 4. & 5.

(*o*) Confer Ill. Albin. ann. acad. lib. 11.

(*n*) Hall. fasc. anat. 1. icon. 1. D. icon. p. 63.

na inter scleroticam & nervum progređitur (*p*), adjungit ergo se laminæ cribrosæ scleroticæ, per cuius foraminula, ultimi nervuli globum oculi intrant. Lamina illa foraminulis pertusa est, hinc quoque lamina duræ matris interna; hæc autem alias nullibi perforata est sed continua, anne ergo credibile, etiam per hæc foraminula continuari? *mullero*
Pia Mater cum nervo intra vaginam D. M. producitur. Hanc in tunicam alteram oculi choroideam abire, alii docuerunt (*q*); Cl. Zinn, abire in laminam internam scleroticæ statuit (*r*). Arachnoidea destinata hic non appareat; lœvis utriusque duræ & piæ meningis superficies hic misceri videntur & confluere, ubi autem (ex ipso crano incipiendo) vagina illa D. M. aperitur, patet, superficies illas sese contingere quasi conglutinatas, totam piam matrem tomentosam fieri, & laxe ambire nervum, unde ille intra vaginam suam mobilis est.

§. XLIX. Productio D. M. separabilis ibi a pia est, & intra aquam lœvitatem retinet. Hinc si, salvo Ill. Virorum honore & auctoritate, contemplationem subtilem ulterius extendere, & ex illa lœvitate superficie aliiquid de continuatione liceret concludere, choroidea potius ab illa interna lamina duræ matris, per foraminula laminæ cribrosæ scleroticæ continuata, derivanda erit.

Sclerotica enim, quæ tota ex compactiore cellulosa fibroſa constare dici potest, & hinc in plures lamellas divisibilis est, extus & intus in laxiorem talem telam abit, qua extus cum musculis, pingue, & cum adnata connectitur (*s*), intus cum choroidis tenuissima cellulosa (*t*). Laminae cribrosæ, e contrâ, superficies ambæ lœves apparent, externa seu posterior est continuatio ipsius vaginæ nervi optici, inter scleroticam & nervum productæ; lœvis interna superficies, choroidea (*u*) supra internam faciem laminæ cribrosæ continuata. Compresso ipso nervo, substantiam medullarem exprimi per foramina parva, sæpius vidi, iteratis experimentis.

Choroideam non a pia matre oriri, eadem distinctio superficierum, de-

(*p*) Ill. B. S. Albinus in physiolog. item

(*s*) Idem p. 6.

Cl. Zinn de oculo humano cap. I. §. 6.

(*t*) Idem p. 41.

(*q*) Vide apud Cl. Zinn cap. 2. §. 4.

(*u*) Idem p. 43.

(*r*) Idem cap. I. §. 7. & tab. I. p. I.

demonstrat, lavis enim P. M. superficies externa est arachnoidea, cellulosa, quæ nervum respicit: contrarium in choroidea, quæ intus lavis libera est, externa cellulosa scleroticae connexa; quod omnibus membranis proprium (§. IV.).

Quæstio remanet, quid tunc fiat de pia matre? hanc cum nervulis per foramina cribrosa penetrare credo: circa arteriam centralem, per medium foraminulum ejus laminæ productam, ubi arteria hæc in ipsum humorem vitreum (v), & ad lentem crystallinam (w) pergit, explicari in membranam externam humoris vitrei, quæ, naturæ cellulosæ membranæ, in parte anteriore humoris vitrei, in duas laminas secedere, sive capsam lentis crystallini & canalem Petitianum (x) constitutere videtur; cum nerveis fibrillis in retinam expansam, substantiam medullarem in parte ejus exteriore, in interiore vasa continere (y).

§. L. Ipsa *Choroidea*, quæ sub hoc nomine incipit ex ambitu laminæ cribrosæ scleroticae, (sive sit continuatio D. M. & laminæ internæ vaginae nervi optici, sive membrana propria), expanditur intra sclerotica in folliculum rotundum, & dividitur in tres partes, prima seu posterior choroides, media orbiculus ciliaris, tertia pars anterior iris vocatur; de quarum fabrica, idem Ill. Zinn consuli meretur; quæ ad nostrum hic scopum pertinent, recensebo.

Choroidea producta antrorum fit *orbiculus ciliaris*, in cuius interna superficie innumeræ eminentiæ insignes sunt longitudinales, quasi superficie innumeris plicis corrugatae; hæ processus ciliares, ligamenta ciliaria vocantur, quæ, sulcis coronæ ciliaris humoris vitrei receptæ, humores in situ retinent.

Ante humorem crystallinum a processibus ciliaribus continuata, & duplicita in pelliculam, libere intra humorem aqueum fluctuantem, iridem constituit, quæ in medio foramen habet, quod pupilla vocatur. Hæc Iris revera ex duplice lamina constat, inter quas cellulosa tela conjunctas, nervi ciliares & vasa decurrent (z). Interna lamina, continuatio choroidis, versus centrum pupillæ, extenuata in aciem, ad aliquam distan-

(v) Idem p. 126.

(w) Idem p. 142. tab. 7. fig. 2, 3. Albin. ann. acad. lib. I. c. 7. tab. I. fig. 4, 5.

(x) Idem Cl. Zinn p. 124.

(y) Idem p. 112.

(z) Cl. Zinn ibid. tab. 4. fig. 2.

tiam excurrens, antrorum & extrorum reflectitur in anteriorem lamina iridis, unde foramen pupillæ duplicato margine describitur.

Anterior illa lamina, lœvis extus, colorata varie in variis hominibus, desinere dicitur ad ambitum corneæ. Si etiam hic aliquid mea valent experimenta, ibi non desinit, sed supra internam corneæ superficiem continuatur, a qua sat insignem partem separavi, unde idem hic fieri credo, ac ubi in externa superficie Adnata naturam corneæ assumit & induit. Inde etiam lœvitas superficie tam externæ quam internæ.

Nullas ergo etiam hic membranas perforatas inveniri puto.



I N T H O R A C E.

§. LI. **C**avum thoracis, viscera vitalia continens, terminatur a parte anteriore sterno; a lateribus costis & musculis; a posteriore Columna vertebrarum, quæ, parum antrorum prominens intra hanc cavitatem, illam in duas partes laterales sponte dividere videtur; a parte superiore cavum terminant claviculæ & musculi scaleni, inferius Diaphragma.

Civitatem illam obducit Membrana, non una continua, sed distincta in duas partes, quæ *Pleuræ* vocantur. In quoque latere Vesica oblonga invenitur cavitatem replens, integra, undique adhærens, expansa a latere prominentis spinæ per totam amplitudinem omnium costarum, & supra diaphragma versus sternum procedens, a quo iterum retrorsum versus spinam inflectitur, continuatur; a parte superiore sub musculo scalenos adscendit, unde fit, quod vulnus ibi inflictum lethale esse potest.

Ubi sic in utroque latere Pleura expanditur, folliculus tertius minor qui *Pericardium* vocatur medium spatum occupat, relicta inter utrasque Pleuras, inter sternum & spinam vertebrarum. Pericardium per cellulosam suam exteriorem superficiem connectitur vicinis pleuris, sterno, posterius oesophago & spinæ, inferius Diaphragmati, cuius nudam a pleuris relictam partem integrat: a superiore liberum, vasa emittit.

Supra & ante pericardium pleuræ se per cellulosam contingunt, & formant *Mediastinum*.

§. LIL

§. LII. Quisque folliculus viscus continet : Pleuris Pulmones continentur , Cor Pericardio.

Pulmo cavum pleuræ replet. In inspiratione dilatato thorace pulmo explicatur ; in exspiratione collapsis iterum costis , pulmo ea quidem proportione , sed non tota , concidit , neque omnis aër evacuatur , ut liber maneat sanguinis circulatio ; in cadavere etiam costis contiguus , non concidit pulmo , nisi vulnerata pleura.

Cor e contra pericardium non replet , sed , sua mucrone libera , intra folliculum liquore distentum fluctuat & movetur : ratio hujus videtur , ut cor liberius in sua diastole sese explicare valeret , neque impediretur dilatatione thoracis.

Fabricam harum membranarum , illarum vasa & nervos , non attin gam ; reliquis similes ab Ill. Hallero describuntur (a). Superficies etiam externa cellulosa est , interna lævissima : commune quoque hoc habent , quod ipsa membrana folliculi expansi , circa vasa reflexa , ad superficiem visceris continuatur .



§. LIII. Cor intra suum folliculum liberum a vasis pendens , tunicam externam a *Pericardio* accipit , quod , inflatu quatuor cornua ostendit (b) , quæ sunt adhæsiones pericardii circa vasa majora . Externa pericardii cellulosa tela cū nervea vasorum tunica producitur ; interna lamina , quæ proprie folliculum efficit , introrsum reflectitur , ubi vasa illa pericardium perforare dicuntur ; adhæsiones illas summus Eustachius eleganti simplicitate in tabulis suis exhibuit ; nempe

Pro aorta , ad ipsam ejus curvaturam , mox ante principium carotidum , postquam dedit canalem arteriosum (c).

Pro arteria pulmonali , ad utrumque ramum dextrum & sinistrum , antequam se in minores ramos findunt ad ingressum pulmonum (d).

Pro venis pulmonalibus , parum post illorum egressum ex sinu sinistro (e).

Pro

(a) Physiol. tom. I. lib. 4. sect. I.

fig. 6. d.

(b) Ibid. §. xv.

(d) Idem tab. 15. fig. 6. Y. Z.

(c) Eustach. tab. 15. fig. 2. S. fig. 4. O.

(e) Ibid. fig. 6. O. P. Q. R.

Pro vena cava superiore, ad eandem fere altitudinem ac pro aorta (*f*).

Pro V.C. inferiore, non adeo in tabulis Eustachii exhibitum est, quodammodo tamen ex illis comparando erui potest: similiter enim ac ex dextro sinu (*g*) V.C. superior adscendit (*b*), sic inferior descendit & per diaphragma penetrat (*i*), ubi pericardium parte sua inferiore diaphragma obducit & adhæret (*k*). Juxta foramen ergo diaphragmaticis, per quod vena illa intra abdomen ex thorace descendit, pericardium introrsum & sursum, supra eandem venam descendenter, versus cor continuatur in hujus externam membranam.



§. LIV. Eadem res evenit in Pulmonibus. Vasa ad quemque pulmonem procedunt ex corde, una arteria, duæ venæ, pulmonalia vasa dicuntur; accedit & ramus asperæ arteriæ, canalis aëriferi; hæc ad respirationem, & circulationem pertinent: accedunt & vasa bronchialia pro ipso nutriendo pulmone.

Ubi vasa hæcce per cellulosam connexa ad pleuram pervenerunt, illam non perforant, Pleura vero circa illa vasa, (quæ quasi intra vaginalm recipit), introrsum continuatur. Vasa hæc sensim ramosiores factæ, miro modo intricata, constituunt pulmonem sive massam vasculosam, quæ dein, superinducta membrana externa propria a continuata Pleura, Pulmo vocatur. Cellulosa tela, cum vasis, pulmonis substantiam intrat, vesiculas colligit in lobulos, hos in lobos majores; inflari potest, vulnerata externa; externa membrana difficile a reliqua substantia separatur, nisi repetita inflatione.



§. LV. Non incongrue etiam hic recensetur *Membrana interna Cordis*, quæ in internam vasorum continuatur.

Cor, intra folliculum suum, Pericardium a quo externam membranam accipit, contentum, totum ex fibris muscolosis validis constare

ma-

(*f*) Ibid. fig. 2. O. fig. 4. N.

(*i*) Tab. 25. 4.

(*g*) Ibid. fig. 4. N.

(*k*) Tab. 15. fig. 4. M. M.

(*b*) Ibid. O.

manifestum est. Lacerti crassiores in interna superficie conspicui, aliud habitum ostendunt, quam reliqui corporis musculi, cuius ratio in eo sita videtur, quod reliqui musculi cellulosa membrana involuti sint, cordis lacertis laevi membrana obductis (1).

Lævis illa simplex membrana totam internam reticulatam cordis superficiem obducit & vestit, inter lacertos intrat, circa illas continuatur; in auriculis & ventriculus idem. Valvulae ventriculos a sinubus & vasis distingunt: hæ, eadem duplicita membrana, aliquid fibrosum intercedente, formantur. Venosæ valvulae intra ventriculos productæ tenduntur fibris tendineis lacertulorum, qui ex mucrone intus assurgunt; supra ipsos lacertos continuata membrana in valvulam explicatur: tensæ hæ valvulae in diastole cordis, sanguinem admittunt, contractis autem ventriculis, laxatae hæ pelliculæ ostia claudunt.

Continuata sic interna utriusque ventriculi cordis membrana, postquam in valvulas venosas duplicita fuit, pergit sinum & auriculam vestire, sicque per venas eodem modo ac per arterias continuari.

§. LVI. In sinibus, qui æque ac ventriculi a se invicem distincti sunt in adultis, notabilis communicatio in junioribus & fœtibus inventitur per ita dictum foramen ovale, quo circulatio sanguinis in fœtu nondum respirante promovetur; sanguis enim per hocce foramen ex dextro sinu in sinistrum transit, ubi omnis dextro ventriculo recipi & ad pulmones propelli nequit. Fenestra hæc sive foramen continuationem membranæ internæ utriusque sinus permittit, quæ ad oram ejus ex uno sinu ad alterum reflectitur, ex dextro in sinistrum.

Foramen illud ovale, ubi adhuc apertum in juniore corde dissecto inventur, pellicula tamen tectum est cortinæ ad instar, quæ sequenti modo formatur. Interna utriusque sinus membrana ad oram foraminis perveniens, ulterius versus centrum hujus producitur; geminatæ sic membranæ, per cellulosam intermedium connexæ, fluctuantem pelliculam constituunt; in extremo margine membranæ continuantur, sicque hæc valvula duplicita membrana interna cordis oritur. Membrana autem illa non æqualiter ex omni ambitu foraminis producitur, minus a parte superiore & inferiore magis a latere, exsecta versus centrum

(1) Haller phys. t. I. p. 328. &c.

margine, unde figura quodam modo semilunaris. Si unica est membrana, ex posteriore margine foraminis oritur; si duæ, ex utraque. Sic in corde fœtus fere maturi duas pelliculas semilunares inveni, quarum cornua sese cruciabant, ita, ut quæ posterior & latior, ex dextro sinu cornubus suis intra sinistrum, anterior ex sinistro in dextrum dirigebatur, unde obliquitas viæ, affluxui sanguinis ex venis cavis respondens, uti in siccato hocce post inflationem specimine, ex fabrica eleganter apparet. In aliis ubi unicam pelliculam inveni, hæc ex posteriore margine foraminis antrorum intra sinistrum sinum ex dextro producta apparuit major, totum occludens foramen; directio illa valvulae viam sanguini ex dextro sinu in sinistrum liberam concedit, regressum vero ex sinistro in dextrum impedit: Anatomici plures hanc valvulam iconibus illustraverunt, & quidem inter alios præcipue Celeb. Hallerus (*m*). Valvula Eustachii, quæ ad ostium venæ cavæ inferioris invenitur (*n*), eodem modo ac reliquæ valvulae venosæ cordis constructa est.



IN ABDOMINE.

§. LVII. Tandem ad Abdomen pervenimus. Tertium illud C. H. cavum describunt a parte posteriore spina, a parte laterali utraque & anteriore musculi, a superiore Diaphragma, ab inferiore Pelvis ossa: Pelvis cavum minus est abdomini continuum.

Cavum illud undique vestitur intus membrana quadam, quæ *Peritonæum* vocatur. Hæc proprie vesicularis est, integra, undique clausa, nullibi perforata; duræ meningi, pericardio & pleuris similis, a quibus tamen differt, quod plura viscera, uno continuo sacco contineat, loco quod in prioribus quodque viscus singulari folliculo includatur.

Viscera, quæ complectitur abdomen, partim extra peritonæum jacere, partim intra illud contineri, dicuntur; aliquo jure omnia extra peritonæum i. e. extra cavum illius, dici possunt, eadem cavitatis membrana in externum illorum involucrum continuata. Quæ extra peritonæum di-

(*m*) Fascic. anat. 4. tab. 1. fig. 1. & seq.
idem elem. physiol. tom. 1. tab. 2.

(*n*) Eustach. tab. 8. fig. 6. a. tab. 16. fig. 3. Haller l. c.

dicuntur, sunt trunci majores descendentes vasorum aortæ & venæ cavæ, viscera uropoietica & spermatica, nempe renes, vesica, urethres, vasa spermatica & deferentia, quæ ad testes decurrunt: hæc situm habent intra cellulosam exteriorem peritonæi telam, quæ ab aliis pro ejus duplicatura habita fuit; in hocce situ, eadem tela firmantur, sustinentur, & partibus vicinis, spinæ & musculis alligantur, per tenuem laminam superficialem peritonæi pelluent, & aperto abdomine, remotis intestinis mox in conspectum sub peritonæo veniunt. Ubi vasa ex abdomine aliorum tendunt, cellulosa tela illa semper comitatur, lamina vero lœvis superficialis vasa non sequitur, sed introrsum reflexa in externam viscerum tunicam abit. Viscera peritonæo contenta sunt ventriculus, intestina, hepar, lien, pancreas; in fœtu masculino testes; in sexu sequiore uterus, intra pelvim situs.

§. LVIII. Ubi ventriculus diaphragmatis partem carneam primam perforavit, (quousque cellulosa thoracis comitabatur), ad oram eiusdem musculifissuræ (o), peritonæo recipitur, hoc enim ad cardiam reflexum, supra ventriculum explicatur ab anteriore & posteriore latere, donec duæ hæ laminæ ad fundum ejus sibi invicem incurvant.

Pro hepate, in dextro latere a foramine septi transversi (p), per quod V. C. ex thorace descendit, peritonæum circa venas hepaticas ad inferiorem hepatis partem propaginem mittit, per latera ad dorsum hepatis adscendit; laminæ ibi ad se accedunt, conjunguntur & duplicatae nomine ligamenti suspensorii ad diaphragma tendunt, ibique rursus in peritonæum explicatur: in posteriori parte, hepar nudum diaphragma tangit, & per solam cellulosam adhæret, secedentibus laminis peritonæi duplicati; præter hæc alia sic dicta ligamenta recensentur (q), quæ sunt nil nisi duplicatae membranæ productiones, & nihil cum ossium ligamentis commone habent, nisi quod hepar cum vicinis partibus connectant: ab inferiore & anteriore hepatis margine postquam vesica felia tunicam externam communem accepit, simili modo dorsum adscendit & continuatur, hinc vena umbilicalis (postea ligamentum rotundum

he-

(o) Cl. Albin. tab. muscul. 14. fig. 6. u.
fig. 7. n.

(p) Ibid. tab. 14. fig. 6. I. fig. 7. C.
(q) Winsl. traité du bas ventre §. 260. &c.

hepatis) intra duplicaturam ligamenti suspensorii, ab hepate ad umbilicum decurrit.

Lien in sinistro latere pone ventriculum jacens, etiam membranam externam a peritonæo accipit, ope ligamenti ex duplicata eadem membrana diaphragmati alligatur, & cum ventriculo per vasa cohæret, sic cum pancreate &c. (r). Pancreas sub ventriculo intra duplicaturam mesocoli hæret.

§. LIX. Ubi jam capita majora diaphragmatis a se invicem secedunt, & aorta, comitata vena cava, intra abdomen descendit, ex eodem arteriæ trunco, ante ortum vasorum emulgentium quæ ad renes pertinent, ramus mesentericus oritur (s); ibidem loci ductus chyliferus radiculas suas emitit (t). Peritonæum ibi ab omni parte colligitur, & cum vasis continuatum introrsum producitur, sic ex augusto crasso principio, miro modo latescens, explicatur in duas laminas ope cellulosæ telæ in unum planum connexas, inter quas dicta vasa decurrunt, vocatur *Mesenterium* quod, extremo libero fluctuante, pendulum est intra abdominis cavitatem (u). Huic extremo adnectitur tubus intestinalis sequenti modo; laminæ hucusque per cellulosam connexæ a se invicem secedunt, una ab uno latere, altera ab altero tubum intestinalem adscendit, ambæ illum complectuntur, tandem se mutuo contingunt & confluunt in unum: patet ergo hasce producti peritonæi laminas duplicates efficere mesenterium, in fine continuatas canalem, pro recipiendo tubo intestinali.

Tentavi intestinum ex suo canali mesenterico solvere, (v) quod in adultis licet prægressa leni maceratione minus successit, in infantibus junioribus facili arte, modo prudenter adhibita, resecando vascula mesenterii: sic totum fere intestinalum tenuium tractum ex integro mesenterii canali solvere potui; servavi inter alias portionem mesenterii, cuius canalis liber a suo intestino & ejus loco liquore, intra quem suspendi, repletus, præter tenuitatem integrum intestinum refert. In alia dimidiā intestini partem abstuli, alteram reliqui, integro canali producti mesenterii.

(r) Winsl. ibid. §. 239. & seq.

(s) Eustach. tab. 25. N. 28.

(t) Albin. tab. de ductu thoracicoq.

In-

(u) C. B. Albin. de intestin. tenuib. p. 7.

(v) Ibid. p. 10.

Intestina, quæ proprie a mesenterio pendent, sunt ita dicta tenuia, Jejunum & Ileum. Incipit jejunum a duodeno, ubi hoc intestinum postquam a ventriculo parum retrorsum inflexum sub hepate descendit, usque fere ad renem dextrum iterum sinistrorum inflecti & sub principio mesenterii in sinistrum latus pervenit.

§. LX. Altera mesenterii pars, *Mesocolon* dicta, vera ejus continuatio est & ejusdem naturæ, cui simili modo crassa intestina adnectuntur: continuatur mesenterio, ubi ileum intestinum colo. Colon porro ab osse ileo dextro versus hepar adscendit, dein sinistrorum sub ventriculo decurrit versus lienem, in sinistro latere iterum descendit, tandem ad oram pelvis facta flexura sigmoidea, in Rectum terminatur.

Mesocolon ex mediis lumbis, circa originem mesenterii oriens ex producto peritonæo, per ambitum explicatur versus colon; ubi eousque pervenit, colon adscendit illudque recipit: format ita planum semicirculare, quod, instar septi abdominis medii, intestina tenuia a ventriculo, hepate, liene & pancreate destinguit & separat: apparet hoc, ubi aperito abdomen, reliquis intactis partibus solum colon ad pectus attollitur & reclinatur.

Differunt autem intestina crassa a tenuibus, quod non adeo libere intra cavum abdominis fluctuant, sed magis vicinis partibus alligentur, hinc quoque duæ laminæ in mesocolo non ubique regulariter inveniuntur. Ubi principio mesenterii in lumbis rescissio, tenuia intestina, separata a crassis in situ relicta, eximuntur ex cadavere, lamina mesocoli occurrit ex centro quasi lumborum versus circumferentiam coli extensam: hæc colon adscendit quidem, non vero ubique pone illud descendit, ut altera priori adjungatur lamina, uti in mesenterio: in aliis locis supra intestinum in peritonæum continuatur, hinc intestina ibi extra peritonæum jacere videntur; sic colon sub utroque rene, ubi nomen ligamenti accepit (*w*); sic duodenum per spatium triangulare mesocoli (*x*), revera extra peritonæum decurrere dici potest. In superiore parte altera lamina cum ita dictis ligamentis, quibus ventriculus, hepar &c.

(*w*) Winsl. traité du bas ventre §. 202, (x) Ibid. §. 106.
203 & 205.

&c. inter se ligantur & connectuntur, confunditur, donec etiam intestini superficiem adscendens anteriori laminæ occurrat.

§. LXI. Ubi sic duæ laminæ peritonæi sibi invicem ad fundum ventriculi (§. LVIII.) & superficiem intestini coli (§. LX.) occurront, conjunctæ ulterius producuntur deorsum ante intestina tenuia, ibi plana hæc duo (unum a ventriculo procedens, alterum a colo) in faccum continuantur, cui nomen *Omenti* dederunt.

Fundus libere ante intestina fluctuat, illaque integit; oræ superioris margines, cum reliquo peritonæo confluunt, & vicinis partibus adnectuntur, ita dictis ligamentis (y); capacitas hujus facci nihil continet; orificium, quod circa lobulum minorem hepatis invenitur, aërem inflatum admittit, sicque egregio spectaculo in juniore cadavere, aëre distentus assurgit, in adultioribus parietes concrescunt. Pingue in obesis hic non intra cavum facci, verum in cellulosa, quæ laminas parietis jungit, continetur. Si quis plura hic desiderat, adeat jam laudatos autores Winsloum (z), Hallerum (a), & Douglasum (b).

§. LXII. Peritonæum porro ad oram pelvis perveniens, illam intrat & obduceit: posterius ad intestinum rectum reflectitur, anterius supra fundum vesicæ continuatur versus musculos abdominales, sicque vesica, extra cavum Peritonæi, intra largam cellulosam sustinetur. In sexu sequiore ad uterum adscendit, cui tunicam externam largitur, sic & ovariis & tubis, quæ libera intra cavum hujus facci fluctuant; eadem membrana hic duplicata ligamenta (sic dicta) lata uteri format; cum interna uteri tunica continuatur (§. XXV).

§. LXIII. Restat de Peritonæo considerare exitus vasorum ex abdome. In genere, (uti jam §. LVII. diximus) vasa sub peritonæo jacent, & per ejus cellulosam decurrunt. Dantur in musculis abdominis aperturæ quædam seu hiatus, per quos dicta vasa exire solent: sic vasa umbilicalia per foramen in medio lineæ albæ; spermatica, per annulos musculorum obliquorum extenorū; cruralia, sub ligamento pou-

par-

(y) Winsl. ibid. §. 353. 363.

(z) I. c.

(a) Fascie. anatom. prim.

(b) De peritonæo p. 47.

partii. Hæc præcipua loca sunt, quæ sæpius ansam præbent Herniis. In hisce locis, vasa cellulosam secum ferunt per ipsa foramina: vera peritonæi lamina interna non ubique eadem ratione invenitur; in ingui- ne cum spermaticis vasis producitur usque in scrotum, formatque sic tunicam vaginalem; in umbilico non ita, non in femore, ubi interna lamina exitum vasorum integit & claudit. Videamus paucis.

§. LXIV. Internam Peritonæi laminam in femore cum vasis crurali- bus produci, nullis (quod scio) exemplis constat, nisi ubi hernia præ- gressa; neque hujus rationem neque usum video.

In loco umbilici cum vasis umbilicalibus talem productionem inveniri, scripsit Douglasius (*c*) ex „fœtu quodam — qui jam in utero her- „nia umbilicali laborabat”; licet autem talis casus inveniatur, ut etiam Ill. Albinus notavit, icona exhibuit (*d*), & ex aliis authoribus allegavit exempla (*e*), concludi quidem debere credo, per certos na- turæ lusus, infantes cum hernia umbilicali aliquando nasci, non vero inde sequi „quod Peritonæum in fœtu comitetur hæc vasa per umbili- „cum extra ipsum abdomen, & involucri loco funi umbilicali ad pla- „centam usque inserviat” (*f*). In duobus fœtibus integris, quos cum funibus acceperam, perquisivi, & in utroque inveni sequentia- Resecui abdominis cutem cum musculis & peritonæo per totum ambi- tum juxta costas & pelvis ossa, frustum hoc cum appenso fune aquæ immisi & leniter a sanguine purgavi, quæsivi tunc aperturam, sed neque vestigium invenire potui: peritonæum leviter ibi corrugatum fibris transversis firmabatur, ad illum præcise locum, ubi vena umbili- calis in exitu se arteriis adjungebat: separato peritonæo a subiectis vasis, evidenter vidi, vasa hæc sola cellulosa in exitu per foramen li- neæ albæ comitari, huic cellulosam subcutaneam telam admisceri, tan- dem continuatam cutis productionem funem ambire; sicque vasa per subtilem stipatiorem cellulosam substantiam decurrere, quam alii, sub- carthagineam vocare maluerunt.

§. LXV.

(*c*) Descript. peritonæi pag. 58.

(*e*) Ibid. l. 3, p. 97. confer etiam Ill.

(*d*) Ann. acad. l. i. c. 19. p. 76. & tab. Halleri opusc. patholog. obs. 29.
5. fig. 3.

(*f*) Douglas ibid. p. 57.

§. LXV. In inguine, in sexu sequiori ligamenta rotunda uteri per annulos muscularum abdominalium exirent, ut labiis pudendorum inserantur: peritonæum etiam hic introrsum reflexum in ligamenta sic dicta lata continuatur. Obstare huic videntur diverticula a Nuckio ex Feminis descripta (g), herniosæ autem hæ fuerant, & ipsum ligamentum seu vasa, ex cavo abdominis per orificium diverticuli illud intrare, hoc contineri, pinxit; quod impossibile, quia vasa extra peritonæum decurrent, unde ex his non multum concludi posse existimo; casus hi rariores apud Cl. Camper inveniuntur (h). In Viris contrarium evenit, ubi enim vasa spermatica per hosce annulos decurrent in scrotum, vera peritonæi productio illa comitatur, quæ format *tunicam vaginalem* in quoque latere, unde via ibi datur ex cavo abdominis seu peritonæi, directe in scrotum & ad quemque testem, quod pro naturali dispositione ad hernias haberi potest: non vero in omni corpore virili invenitur, solummodo in foœtu & infante juniore, in adultiore rarius, rarissime in adulto homine, licet tamen casus inveniantur (i).

Phænomeni hujus ratio diu sagacioribus ingenii occulta fuit, unde & de formatione tunicae vaginalis testium fictæ sententiae prodierunt. Recentiores æque ac antiquiores, qui de duplicatura membranæ cogitaverant, vaginalem illam tunicam ab externa peritonæi lamina, per annulos producta, derivabant (k); internam laminam exitum hunc integere & annulos claudere, putabant. Cowperus hanc internam, processum facere supra vasa spermatica ad longitudinem aliquot digitorum, scripsit (l), idem quod a Nuckio diverticulum vocatur. Clarius tandem lux huic rei affulsi, summa felicioris hujus ævi Anatomicorum industria, qui de gloria inventi merito inter se contenderunt, Cl. Hallerus in Helvetia, in Anglia Pott, primo observata sua ediderunt (m); postea Celebris Camper & D. Hunter exactissimam totius rei tradiderunt historiam, illamque pulchris iconibus illustraverunt (n).

§. LXVI.

(g) Adenograph. fig. 39. & 40.

(h) Holl. Maatsch. der Wetenschappen A. 1761. & 1763.

(i) Percivall Pott an account of a particular Kind of rupture sect. IV.

(k) Winsl. traité du bas ventre §. 31. &c. item Riolan. anthropograph. p. 154.

(l) Tab. 32. fig. 3.

(m) Haller opusc. pathol. Lauf. 1755. obs. 28. p. 53. Pott an account of a particular kind of rupture Lond. 1757.

(n) Camper in de Holl. Maatschappy der Wetensch. Haarlem 1761. sesde Deels 1. Ituk p. 235. item zevende deels 1. Ituk p. 58. A°. 1763. Hunter medical commentaries part. I. Lond. 1762.

§. LXVI. Tota res, quam repetitis demonstrationibus a Cl. Præceptoribus P. Camper & F. B. Albino confirmatam, in aliquot subjectis perquisivi, huc redit:

In fœtu, primo testes intra abdomen latent, quod a provida Naturæ factum videtur, ne nobiliores haec partes, nimis expositæ, laederentur. In hocce statu in juniore fœtu, plerumque jacent, infra renes, ante musculos Psoas, prope oram pelvis & a lateribus intestini recti. Ut reliqua viscera abdominalia, quidem extra peritonæi cavum exclusi, prominent simili modo ac illa intra peritonæi capacitatem, & a continuata eadem membrana, tunicam externam communem accipiunt. Peritonæum totum testem cum epididimide investit & comprehendit, præter illum locum ubi vasa spermatica, quæ sub peritonæo repunt, testi inferruntur, circa quæ ipsum peritonæum ad testis superficiem continuatur, hinc testis, quasi a pedunculo, intra cavum abdominis pendet & per cellulosam peritonæi vicinis alligatur. Descendit sensim juxta dictum Psoam musculum, donec perveniat ad annulum muscularum obliquorum abdominis, dum adhuc eodem modo, quasi pedunculo, sustinetur. Sæpe autem hic introrsum in cylindri speciem elongatur, vasa spermatica incurrentis & cuius tunc extremo testis insidet. Ubi ad annulum pervenit, per illum elabitur in inguen, ex inguine in scrotum descendit: cylindrus ille tunc invertitur.

§. LXVII. In altero ergo statu, descensus nempe, testis secum trahit portionem peritonæi. Testis, qui intra abdomen tunicam externam a continuato peritonæo accepit, ubi nunc per annulum elabitur, necesse secum trahit portionem peritonæi proximam, quæ tunc Processus vocatur, sive Meatus, quia intra cavum abdominis hiat. Quo magis autem testis in scrotum ex inguine descendit, eo magis quoque propago illa elongatur, unde figuram oblongam acquirit, instar ditti chirothecæ, reliquo peritonæo continua: testis tunc in fundo hujus prolapsi sacculi, ut ante intra cavum abdominis, prominet; vasa, quæ funem spermaticum constituunt, a parte posteriore ejusdem facci decurrunt, involuta cellulosa tela. Ubi meatus ille per longitudinem aperitur, testis in fundo nudus jacet, quod eodem dici jure posse credo, ac de cerebro, corde, pulmonibus, hepate &c. apertis cavitatibus,

eodem jure, ac nudus dicitur oculus, licet continuata cute, Adnata obducatur. Tenuitas hujus producti peritonæi ibi loci facit, ut etiam vasa intus intra meatum promineant, & levi duplicatura contineri dici possint, integro autem prius inflato processu, vasa illa per ejus dorsum decurrunt, &, soluta cultello cellulosa, a se invicem separantur.

§. LXVIII. Mutatio denique accedit. Collapsis cavi hujus processus peritonæi parietibus supra vasa spermatica, funi incipiunt accrescere parum supra testem, unde cavum illius processus, sponte in duas partes dividitur: superior, quæ cum cavo abdominis communicat, funem prehendit; inferior, distincta jam a superiore, testem includit, & fit ita dicta tunica ejus vaginalis. Inferior distenta manet in speciem folliculi circa testem; superior sensim tota circa funem concrescit, & nil nisi cicatricem in abdomen relinquit; nonnunquam pro parte, pervius remanet meatus, in totum raro.

§. LXIX. Sic etiam tunicas testium intelligimus. Tunica illa quam Veteres albugineam vocaverunt revera dupli lamina constat, una intima, quæ pulpam testis proxime includit, & per quam vasa penetrant (^o), scleroticæ oculi quodammodo comparanda: altera exterior, lævis, polita, quam a continuato peritonæo accepit, adnatæ oculi nitore similima. Sic instituto Membranarum per totum corporis examine absoluto, facio

F I N E M.

(^o) Cl. Albini ann. academicæ. lib. 2. cap. 12. tab. 7. fig. 1, 2.



COROL:

COROLLARIA.

I.

Ex eo, quod solida nostri corporis sponte, vel arte adhibita, contextum cellulofsum ostendunt, non sequitur, ea ex tali antea existente tela oriri.

II.

Naturalem omnium C. H. partium, maxime membranarum, originem ab ipsis fibris derivandam esse credo.

III.

Lævitas superficie cum continuatione nullibi interrupta, membranam ab omni alia corporis parte distinguunt.

IV.

Epidermidis regenerationem extremis vasis & perspiranti materie simul deberi, autuno.

V.

Periosteum per totum sceleton continuatur.

VI.

In omni articulo datur membrana quedam interna, a ligamento capsulari distincta.

VII.

Vasa, quæ ad cerebrum tendunt, meninges non perforant.

VIII.

Tunicae internas oculorum continuationes esse meningum cerebri: laminam internam D. M. mutari in choroideam; P. M. cum ipso nervo in retinam expandi, verosimillimum esse puto.

IX.

Cornea recte in tres laminas dividitur.

X.

Directio valvulae foraminis ovalis circulationem in fætu non parum promovet.

XI.

Apertis corporis cavitatibus viscera recte nuda dicuntur, licet continuata cavitatis membrana obducta.

XII.

Processus peritonæi infantes naturaliter ad hernias disponunt.

XIII.

Ossa pelvis partui cedere ex structura concludo.

XIV.

Ad veram corporis humani fabricam perquarendam tenerior subjectorum ætas, non minus ac adulta requiritur.

TA-

TABULÆ EXPLICATIO.

ICON I. Sella Equina Dura Meninge obducta; in qua notanda:

- a. Interna lœvis D. M. lamina.
- b. Continuatio ejus supra glandulam pituitariam & extremum tubulum infundibuli.
- c. Similis continuatio circa arteriam carotidem, ubi hæc ex canali osseº emergit.
- d. Intus susceptio Duræ matris intra continuatæ arachnoideæ productio-nem.
- e. Explicatio Arachnoideæ.
- f. Vas nudum sua cellulosa obsitum, qua nunc distinguitur a loco c, ubi intra vaginulam D. M. adscendit.
- g. Nudum infundibulum.

ICON II. Principium medullæ spinalis, diffractis primis colli vertebris, & ossis occipitis parte, nudum, a parte anteriore dissectum.


- a. Dura mater, ex cavo calvariae per magnum ossis occipitis foramen intra specudem vertebrarum continuata, resecta.
- b. Lœvis interna lamina supra ipsam arteriam vertebralem continuata.
- c. Similis intus susceptio, ac in priore Icone, d.
- d. Arachnoidea tenuissima, quæ in dextro latere reflexa, ut nudum vas appareat; in sinistro latere situm naturalem ostendit, ubi vas & ner-vi per illam pelluent.
- e. Vas nudum, quod exteriore sua cellulosa, se distinguit, quale totum in dextro latere.
- f. Medulla spinalis, cellulosa piæ matris tela tecta.

ICON III. Una ex venis superioribus cerebri, cum ejus adnexo frustulo, & parva D. M. portione.

- a. Portio D. M. prope sinum longitudinalem, parum inflexa, ut duplex ejus lamina melius appareat.
- b. Lamina interna lœvis.
- c. Continutio ejusdem supra trunculum venosum.
- d. Pellicula valvulosa libera, pone quam vena se piæ matris immergit.
- e. Piæ matris exterior lamina, quæ aliis in locis Arachnoidea audit.
- f. Subjecta huic piæ matris cellulosa tela, per quam vasa decurrunt.
- g. Cerebri substantia.

ICON IV. Idem ac tertius, præterea tamen notanda:

- b. Duplicatura dissectæ pelliculæ valvulosæ, dissecta quoque vaginula la-minæ internæ D. M. intra quam trunculus venosus decurrit.
- i. Exterior P. M. lamina dissecta & reflexa, ut sic vera inter hanc & duræ meningis internam laminam, continuatio appareat.
- k. Vena nuda, per cellulosam Piæ matris decurrentis.



A. Delfis, sc.